

Pra 36 num. 3

4.
DISSERTATIO IURIS CRIMINALIS
RESPONDERI DILEMMA OMNIBUS PRAECEPTORIBUS
SENTENTIA CONDEMNATORIA

PRAEVIA INQUISITIONE
SPECIALE

2 v. A. m.
PRAESES IDE
DANIELE NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONSILII INTIMIS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
ET FACULTATIS IURIDICAE ORDINARIO

D. XXVIII. APRIL. MDCCCLXXVII.

DEFENDET

CHRISTOPHORVS IOANNES GEIER

REGIS BEROL. SILESIVS
IUR. CAND. ET REGIAE SOC. SCIENTIARVM ET ARTIVM FRANCOF.

M. E. M. B. R. O. R. D.

HALAE
APVD L. C. HENDEL.



2. 19. 2. 19.

GERMANIA

ANALOGIA

GRAMMATICA

SYNTAXIS

IDIOMA

PHONETICA

LEXICON

GRAMMATICAE

IDIOMATICA

SYNTACTICA

PHONOLOGICA

LEXICALE

CHILOTOGRAPHIA



ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
JOANNI HENRICO CASIMIRO
DE CARMER
AVGVSTISSIMI BORVSSORVM REGIS
STATVS ET IVSTITIAE ADMINISTRO ACTVALI,
TRIVM IVSTITIAE SVPREMORVM COLLEGIORVM SILESIAE,
ET
CONCILII PROVINCIALIS NOBILIVM,
SVMMO PRAESIDI
MAECENATI ET DOMINO SVO
INDVLGENTISSIMO
D. D. D.
CHRISTOPHORVS IOANNES GEIER.



СИГИЗМОНД
ВИТА
СОНИДОМАРТИНКЕ
СИГО
СИГИЗМОНД ГАШЕН
ЯМЯЭ
УЛАСТУС
СИГИЗМОНД ТА ГАШЕН
СИГИЗМОНД
ЧЕЛЮСТИН





DISSERTATIO IVRIS CRIMINALIS
DE
SENTENTIA CONDEMNATORIA
SINE
PRAEVIA INQVISITIONE SPECIALI.

SECTIO I.

GENERALIA PRINCIPIA DE INQVISITIONIS
SPECIALIS GENVINA NOTIONE, FINE ET
REQVISITIS EIVS, NEC NON DE CERTITVDINE
CORPORIS DELICTI ET SENTENTIIS
CRIMINALIBVS.

§. I.

Inquisitionis diuisio in generalem & specialem.

Processus criminalis inquisitorii solennis regularis (*a*) non species, sed partes, sunt inquisitio generalis & specialis, quae etiam sub *solennis* inquisitionis nomine venire solet. Licer vero omnes Criminalistae hanc inquisitionis diui-

A

flor.

sionem admittant: in eo tamen inter se non conueniunt omnino in quo haec differentia consistat (*b*), indeque est eos in regundis finibus utriusque inquisitionis saepe in theoria & praxi peccare. Ex mea sententia differentia inter generalem & specialem inquisitionem quaerenda est in ipsorum actuum in processu criminali obuenientium diuersitate, quibus vtitur iudex ad obtinendum inquisitionis finem in vna & altera harum processus inquisitorii partium. Inter hos actus sunt qui sub examinis rei articulati (*c*) & probationis criminalis solennis nomine veniunt, indeque, an iudex his vtatur vel non, dependet, si quid video, differentia de qua loquor. Definio itaque *inquisitionem generalem* sic, quod sit ea pars processus criminalis inquisitorii solennis regularis, in qua iudex alio modo, quam per examen rei articulatum, vel probationem criminalem solennem, inuestigat an, quomodo & a quo delictum commissum sit, seu quod idem est, corpus delicti eruere, & delinquentem seu plures delinquentes (*d*) confessos vel conuictos facere tentat. Ast inquisitio *specialis* est ea processus criminalis inquisitorii solennis regularis pars, in qua iudex, vel per examen rei articulatum, vel per probationem criminalem solennem, ulterius, quam per inquisitionem specialem fieri potuit, inuestigat an, quomodo & a quo delictum commissum sit, seu, quod idem est, hoc modo, quae desunt quoad corporis delicti, & delinquentis seu plurium delinquentium certitudinem, supplere tentat (*e*).

(*a*) Ne quem offendant hae determinationes, vel verbo monendum esse duco, ex mea sententia completam & distinctam subordinacionem specierum processus criminalis hanc esse. Est vel *mere accusatorius*, vel *mere inquisitorius*, vel *mixtus*. *Accusatorius* processus est vel *bannitorius*, vel *accusatorius inspecie sic dictus*. *Inquisitorius* vero vel *minus solennis* seu *summarius*, vel *solennis* est, & hic est vel *regularis*, vel *irregularis*, si nimis loco inquisitionis *specialis* substituitur responsio ad certa puncta. Vnde per fe

se patet diuisiōne inquisitiōis in generalem & specialem, non
nisi quoad processum inquisitorium solennem regularem locum ha-
bere posse. Quum hic non repetenda sint quae ad prima elementa
iurisprudentiae criminalis pertinent, ab ulteriori euolutiōne harum
specierum processus criminalis merito abstineo. Interim tamen
non possum quin moneam, quoad sic dictum *denunciatorium pro-cessum*, me a partibus eorum non stare, qui eum pro processu ex
ciuili & criminali mixto habent cum III. HERM. BECKERO in
Diff. de tertia specie processus, mixti scilicet seu denunciatorii,
eiusque indole & differentia a processu tam ciuili, quam criminali,
Rostochii 1760., & de speciebus processus criminalis varia, quae
vulgaria non sunt, obuenire in erudita Diff. *Viri Perillustris A.E.*
MILLI LVD. HOMBERGK ZU VACH, de diuersa indole pro-
cessus inquisitorii & accusatorii, nec non de finibus eius caute de-
terminandis & regundis, speciatim de processu accusatorio inqui-
stioni speciali in eadem causa non subordinando, Marb. 1754.

- (b) Sic CARPOVIVS in Pract. Crim. P. 3. Qu. 107. n. 10. & 11.
inquisitionem generalem describit, quod sit inquisitio quae, incerto
ad huc delicto vel delinquentे, per iudicem sit ad generaliter inqui-
rendum an reuera delictum commissum sit, & quisnam illud com-
misserit, desuper generales informationes assumendo. Specialem
vero esse docet: quae sit per iudicem contra particularem personam
de cuius delicto curia iam notitiam habet, vel qua in delicti mo-
dum & auctorem, personam certam in inquisitione generali suspi-
cionibus grauatam in specie, iudex inquirit. ESTOR in dem
Unterricht von geschickter Abfassung der Urtheile und Bescheiden
§. 1301. ita a se inuicem distinguit utramque inquisitionem: die
Generalinquisition geht dabin: ob das Verbrechen begangen und wer
es gethan. Bey der Specialinquisition inquirirt der Richter we-
gen redlicher Anzeigung wider eine gewisse Person. Aliter III.

mmino
gundis
eccare.
inqui-
iminali
um in-
rii par-
lati (c)
an iu-
ntia de
, quod
ris, in
el pro-
a quo
reuere,
conui-
crimi-
vel per
solene-
nit, in-
a, quod
& de-
ere ten-

nendum
ordinatio-
re accu-
ius pro-
tus. In-
nis est,
inquisi-
nde per
fe



=====

QVISTORPIVS in den Grundsetzen des deutschen peinlichen Rechts. §. 592. hac de re sentit dum ait: Alle Untersuchungen in peinlichen Fällen geschehen entweder dergestalt, daß man blos darnach das Abschönen richtet, ob würklich ein Verbrechen begangen, und unter was für Umständen solches verübt worden, oder sie wird auch wider eine gewisse Person, die man aus wahrscheinlichen und in den Gesetzen bestätigten Gründen, welche man in dem summarischen Verhär erfahren hat, für den Thäter halten muß, angestellt. Eine Untersuchung nennt man die General, und diese die Specialinquistion. Breuius PERILL. KOCHIVS in *Instit. iur. crim. Lib. III. Cap. VII. §. 712.* cum quo idem sentit *III. MEISTERVS Sect. III. Cap. VIII. §. 2.*, se expedit. Is enim sic sentit: Generalis inquisitio in genere inuestigat an, a quo, & quibus sub circumstantiis delictum sit commissum. Specialis ad ipsam iudicis legitimis granatum personam dirigitur. Breuissimis vero SCHAVMBVRGIVS in *Princ. Prax. Iud. L. II. Cap. IX. §. 15.* inquisitionem generalem definit per summariam de veritate corporis delicti & persona delinquentiae institutam cognitionem. Addo Duariorum qui olim hanc Academiam ornarunt, K NORRI & CARRACHII, sententiam. Ille in der Anleitung zum gerichtlichen Proceß, *L. II. Cap. X. §. 2.* inquit: Weil der Richter untersuchen muß, ob das Verbrechen würklich begangen worden und wer es ausgeübt, und dazu geholfen habe, so ist daher die Eintheilung in die General- und Specialinquistion erwachsen. Hic vero in der kurzen Anweisung zum Proceß, pag. 262. *§. 11.* ait: die inquisitio generalis ist nichts anders als pars processus inquisitorii generalis atque praeparatoria per quam instruitur inquisitio specialis tanquam pars processus inquisitorii specialis & principalis. Tandem audiamus etiam felicissimum Iurisprudentiae criminalis restauratorem IO. SAM. FRID. de BOEHMER cuius verba in *Elem. iurispr. crim. S. I. Cap. V. §. 115.* haec sunt: Diuiditur vulgo

vulgo inquisitio in generalem, c. 20. X. de accus. & specialem
c. 21. 24. eod. Illa praecedit & est fundamentum specialis ac ad
eius praeparatoria pertinet, haec post subsequitur. Vel ideo re-
centiorum criminalitarum hac de re mentem per ipsa eorum ver-
ba exprimere volui, vt pateat statim emendatione indigere notio-
nes inquisitionis generalis & specialis. Cum itaque, vt mihi qui-
dem videtur, non a fine diuerso, quippe qui idem est in tota inqui-
stione, nimurum hic, vt inuestigetur an, quomodo & a quo deli-
ctum commissum sit, sed a mediis quibus ad obtinendum finem
inquisitionis vtitur iudex, repetenda sit differentia inter inquisitio-
nem generalem & specialem, ex hoc plane novo fundamento, cui
nemo haetenus superstruxit hanc diuisionem totius in partes, for-
maui notiones inquisitionis generalis & specialis quae sequuntur.

- (c) Sub examinis articulati nomine hic comprehendeo utrumque examen
articulatum rei, quorum unum nonnulli inter veteres Criminalistas
lene, alterum vero acerbum appellant: prout iudex per hoc examen
confessionem rei, vel plane spontaneam obtinere intendit, vel eam
extorquere tentat, quod ultimum fit vel per pudorem, unde confron-
tatio rei cum complicibus vel testibus; aut per metum vindictae
diuinæ, unde iuramentum purgatorium; aut per metum crucia-
tuum corporis, unde territio; aut per ipsos corporis cruciatus,
unde tortura, siue generatim per sic dicta media eruendi verita-
tem. Sum enim in ea haeresi non tria, sed quatuor, media eruendi
veritatem admittenda esse, nimurum confrontationem, iuramen-
tum purgatorium, territionem & torturam, omniaque haec media
eruendi veritatem sunt actus ad inquisitionem specialem referendi,
si adhibentur postquam per articulatum examen lene inquisitus ad
confitendum perduci haud potuit. Vnde non nego confrontatio-
nem & iuramentum purgatorium etiam in inquisitione generali lo-
cum habere posse.

A 3

(d)



(d) Sub delinquentium nomine hic tam auctorem seu coauctores delicti, quam eorum socios & fautores comprehendeo. Omnes enim qui delinquunt, vel tanquam auctores, vel tanquam socios, vel tanquam fautores delinquere necesse est, & a sociis delinquentium omnino eorum fautores distinguendi sunt, licet hoc vulgo fieri non soleat, per ea quae docuit PERILL. Dn. PRAESES, quem ob summa in me & rempublicam litterariam merita, & ego & omnes de orbe eruditio ad cineres usque veneraturi sumus, in *Systematis iur. naturalis* editione nouissima de a. 1777. §. 50.

(e) Ut saltem uno alteroue exemplo illustrem quem usum praestent hae distinctae inquisitionis generalis & specialis notiones, notandum ex iis statim patere in inquisitione obuenientes actus in has classes redigi non posse, quod alii ad inquisitionem generalem, alii ad inquisitionem specialem referri debeant. Sunt potius hi actus partim *communes viriusque inquisitionis*, partim *proprii vel generali, vel speciali inquisitioni*. Ad actus inquisitioni speciali proprios, ut de iis tantum dicam, alii referri nequeunt quam 1) *examen inquisiti articulatum lene*; 2) *examen eius acerbum*, quatenus in eo per territioinem, vel torturam, confessionem extorquere tentat iudex; 3) *probatio criminalis solennis*. Neutquam vero, prout iam monui, confrontatio & iuramentum purgatorium hue referri possunt, prout etiam captura delinquentium & examen summarium ad certam personam directum, actus inquisitioni speciali proprii sunt. Porro ex his notionibus facile decidi potest controvressia de actu a quo inquisitio specialis initium sumit, eumque nec citationem verbalem, nec capturam, nec examen rei summarium, nec sententiam per quam inquisitionem specialem decernit index: sed potius examen inquisiti articulatum lene esse. Conf. HOMBERG ZU VACH I. c. §. 16. 17. 18. 19. 20. Quam foecundae praeterea hae notiones sint tum, si quaeritur an & quando sen-

s de-
enim
, vel
tium
fieri
quem
mnes
matis

estent
ndum
lasses
ad in-
s par-
nra-
prios,
en in-
ous in
tentat
prout
referri
arium
roprii
rouer-
ne nec
arium,
iudex:
H O M-
pecun-
quando
fen-

sententia condemnatoria, absque praevia inquisitione speciali, locum habeat, ex infra dicendis patebit.

§. II.

De certitudine corporis delicti.

Philosophandum etiam hic, ast paucis, de certitudine corporis delicti, ut euiteretur omnis obscuritas & logomachia, quoad infra de sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali dicenda (*a*). Est vero mea, hac de re philosophia, haec. Delicta aut in se spectantur, aut relate ad iudicis de iis scientiam seu cognitionem (*b*). In priori consideratione distingui a se inuicem debent: 1) *actionis* quae delictum est existentia seu veritas (*c*); 2) *is* vel *ii* qui *buius actionis* auctor vel coauctores sunt, aut de ea participant tanquam socii vel fautores; 3) *vestigia delicti*, seu tale quid quod sensu externo percipi potest, & mutatio status entis est per actionem, quae vel non potest non delictum esse, vel saltем probabiliter delictum est, producta. In posteriori consideratione vero, sicque si delicta considerantur in relatione ad iudicis cognitionem seu scientiam, notandum hanc scientiam seu cognitionem esse, vel iuridice certam, vel iuridice incertam, quae vel probabilis est, vel non, sicque triplicem esse, vel *certam*, vel *probabilem*, vel *nec certam nec probabilem* (*d*). Quodsi nunc, quae dicta sunt de iudicis scientia quoad delicta, applicantur ad ea quae quoad delictum in se spectatum a se inuicem distinguenda sunt, inde oritur triplex certitudo & probabilitas relate ad iudicem considerata. Prima est certitudo seu probabilitas existentiae actionis quae delictum est, cumque existentia actionis quae delictum est, proprie sub corporis delicti nomine veniat, patet quid sit *certitudo seu probabilitas corporis delicti* (*e*). Secunda est certitudo seu probabilitas eius vel eorum qui auctor vel coauctores delicti sunt, aut de eo saltем tanquam socii seu fautores participarunt, vnde oritur *certitudo seu probabilitas deliquentis seu plurium delin-*



linquentium. Tertia vero est certitudo eius quod in sensus incurrit, & est mutatio status entis per actionem quae non potest non delictum esse, vel saltem probabiliter delictum est, producta, vnde oriatur certitudo seu probabilitas *vestigiorum delicti* (f). Haec triplex certitudo seu probabilitas ideo semper a se inuicem distingueda, quoniam una ab altera non semper dependet (g). Quis enim non videt: I. certitudinem seu probabilitatem corporis delicti adesse posse, licet desit certitudo seu probabilitas delinquentis seu delinquentium & *vestigiorum delicti*; II. certitudinem delinquentis seu delinquentium sine certitudine corporis delicti non posse locum habere, prout etiam probabilitas delinquentis ponit probabilitatem corporis delicti (h); III. a certitudine *vestigiorum delicti* talium secundum quae actio cuius vestigia sunt non potest non esse delictum, ad certitudinem corporis delicti valere quidem consequentiam: ast talem certitudinem *vestigiorum delicti* plerunque cerebrinam esse; IV. nec corporis delicti, nec *vestigorum delicti* certitudinem seu probabilitatem, aliquid conferre ad certitudinem seu probabilitatem hunc vel illum eum esse a quo delictum commissum est. Caeterum, quod attinet speciatim certitudinem corporis delicti, de ea notandum, 1) subdiuidendam esse in omnimodam certitudinem corporis delicti, si adest certitudo, tam quoad delictum in se spectatum, quam quoad delicti circumstantias, & non omnimodam, si quidem quoad delictum in se spectatum adest certitudo, non vero quoad circumstantias delicti (i). 2) Certitudinem corporis delicti oriri vel ex certitudine *vestigiorum delicti*, vel ex certitudine delinquentis: prout etiam probabilitas corporis delicti eodem dupli modo oritur. Vnde prior certitudo dici posset certitudo corporis delicti ex inuestigatione eius ad sensum, posterior vero certitudo ex inuestigatione eius ad intellectum orta. In quo sensu etiam probabilitas corporis delicti ita diuidi potest.

(a) Non desunt inter recentiores Criminalistas qui ingenue fatentur doctrinam de corpore delicti eiusque certitudine, adhuc multis diffi-

difficultatibus obnoxiam esse, veluti IO. BALTH. WERNHERVS in Diff. de cerebrina certitudine corporis delicti. FERD. AVG. HOMMEL in Diff. An & quatenus certitudo corporis delicti in processu criminali necessaria sit; IO. HENR. GOTTL. de IVSTI in obscuratione EIVS Histor. und Iurist. Schriften inserta Vol. I. p. 35Q. von den Mängeln unsrer peinlichen Rechte die aus einigen gemeinen Lehren der Rechtsgelehrten von dem corpore delicti entspringen. IO. SAM. FRID. de BOEHMER in Obscuru. ad Carpzouium Quaest. CVIII. Obscuru. II. LEYSER in Med. ad ff. Spec. 561. Eo magis itaque necessarium esse iudico hic quedam hac de re praemitti.

- (b) Reste quidem monet BOEHMERVS I. c. in aequiuocatione applicationis corporis delicti, caussas fluctuum in hac doctrina querendas esse. Ast me iudice non sola haec aequiuocatio est huius mali caussa. Vnde in emendatione huius doctrinae alia via incedendum est, quam ea, per quam haec aequiuocatio tantum tollitur, quorsum pertinet haec distinctio.
- (c) Perinde est siue dicas existentia siue veritas, si nimirum veritas non sumitur in sensu logico, sed in sensu metaphysico. Vnde nescio ex quo fundamento PERILL. de PVFFENDORF in Obscuru. iuris P. II. Obs. CLIV. contra CLASENIVM moneat: mallem veritatem a corpore delicti tantisper separari. Ast certitudinem separandam esse a notione corporis delicti ex mox dicendis patebit, & haec forsitan est, si restet coniicio, mens PVFFENDORFIL.
- (d) In eo, si quid video, potissimum latet fons confusionis & obscuritatis doctrinae de certitudine corporis delicti, quod Criminalistae non attendant secundum sanioris philosophiae principia verum falso, certum incerto, contradistinguendum esse, & incertum vel probabile, vel non probabile esse, si de eo quod facti est loquimur, veluti si



loquimur de delicto commisso vel non. Hinc verum & certum
iis saepe vnum idemque est; certitudinem in probabilem & apod-
eticam diuidunt; loquuntur de certitudine mathematica, absoluta,
morali, vt alia taceam que stomachum mouent. Quoad certitu-
dinem vero omnino distinguendum est inter *philosophicam* & *iuri-
dicam*, seu potius *forensem*, certitudinem eius quod facti est, dum
adesse possunt omnia requisita ad veritatem seu existentiam eius
quod facti est secundum leges positivas in foro necessaria, sive
certitudo forensis eius quod facti est adesse potest, licet multa se-
cundum philosophiam ad veritatem necessaria requisita desint. Idem
valet de probabilitate.

(e) **HOMMELIUS** l. c. §. 3. sic definit certitudinem corporis delicti,
quod sit *scientia de delicto ipso perpetrato, aliunde quam ex delin-
quentis confessione haupta*. Scientiam vero diuidit in certam &
probabilem, sive admittit duplē certitudinem corporis delicti,
certam nimurum & probabilem. Haec non sunt ad meum pal-
atum. Quicquid enim certum est, probabile esse, dici nequit.
Porro me offendit **HOMMELIUM** certitudinem restringere ad de-
lictum *ipsum*, quod neutquam admittere possum, si, vt saltem vi-
deri posset, per hanc determinationem excludit *circumstantias facti*
quod est delictum. Tandem **HOMMELIUS** ad certitudinem cor-
poris delicti requirit scientiam *aliunde quam ex delinquentis con-
fessione haustram esse*, quod simpliciter defendi nequit, dum, licet
sola confessio non semper ad certitudinem forensem corporis delicti
sufficiat, ea tamen ad certitudinem corporis delicti semper multum
confert, & nonnunquam sufficit. Bene vero monet **HOMME-
LIUS** l. c. inter *ipsum corpus delicti & certitudinem eius*, magnam
differentiam esse. Vnde peccant, qui, dum corpus delicti definiōre
volunt, eius certitudinem definient, veluti de **IUSTI** l. c. dum in-
quit: *Das corpus delicti ist nichts anders als die vollkommene*

Ueber-



Ueberzeugung des Richters daß eine Misserthat wahrhaftig geschehen sey.

- (f) Licet haec certitudo, quam appello certitudinem vestigiorum delicti, species certitudinis, quam appello certitudinem corporis delicti, esse videatur: hoc tamen dici nequit. Certitudo vestigiorum delicti enim non concernit, prout certitudo corporis delicti, existentiam delicti, sed existentiam vestigiorum delicti, quae ab ipsa actione quae delictum est differunt. Porro quoties delictum commissum est, possibilis est certitudo corporis delicti, licet non semper obtineri possit: ast certitudo vestigiorum delicti, non nisi quoad ea delicta possibilis est quae vestigia post se relinquunt, sive ita commissa ut sint delicta facti permanentis. Interim verum est, posita certitudine vestigiorum certorum delicti, poni certitudinem corporis delicti. Ast pro vestigio certo delicti haberi nequit, quod est vestigium actionis, quam delictum non esse possibile est. Caeterum quae dicta sunt de certitudine corporis delicti & vestigiorum delicti, valent etiam de probabilitate vtraque.
- (g) Quoad iudicis scientiam seu cognitionem quoad delicta consideratam, haec tria se inuicem distingui & hunc praestat usum, sic evitari posse ambiguas loquitiones: *constare de corpore delicti, vt & deficere corpus delicti.* Priorum verborum sensus enim non solum ideo ambiguus est, quoniam constare de corpore delicti, tam de certitudine quam de probabilitate corporis delicti intelligi potest: sed & ideo, quoniam non omnes corpus delicti in proprio significatu hic sumunt, sed potius pro vestigiis delicti. Qui diuersus corporis delicti significatus etiam alteram loquitionem ambiguam reddit, dum potius vestigiorum delicti defectus, quam corporis delicti in sensu proprio sumti defectus, per eam indicari solet.

(b) Certitudo quoad delinquentem oritur inde quod vel confessus, vel conuictus sit, & probabilitas ex indicis delicti commissi contra aliquem militantibus. Indeque est certitudinem & probabilitatem quoad delinquentem, sub se continere certitudinem & probabilitatem corporis delicti.

(i) Haec certitudinis corporis delicti non visitata subdiuisio, ideo profalsa non habenda, quoniam sunt qui defendant solam certitudinem actionis in se spectatae, quae delictum est, sufficere ad certitudinem corporis delicti & circumstantiarum incertitudinem eidem non obesse, veluti BOEHMERVS in meditationibus ad C. C. C. Art. 6. §. 10. & LEYSERVS in medit. ad Pand. Spec. 561. med. 5. Inde enim nondum sequitur certitudinem corporis delicti, quae simul & quoad circumstantias adest, non esse speciem certitudinis corporis delicti. Quod vero haec diuisio praeterea vnu non sit destituta, ex infra dicendis patebit.

§. III.

De fine inquisitionis specialis.

Inquisitionis finis specialis est vnicus & quidem hic: *suppleri per eam, finita inquisitione generali (a), quae supplenda sunt, ut determinari possit an & quae poena in concreto (b) promerita sit per delictum (c).* Index enim, si finita inquisitione generali progrereditur ad specialem, non curiositatis gratia vterius inuestigat an, quomodo & a quo delictum commissum sit per examen articulatum & probationem criminalem solennem: sed ideo ut officio suo satisfaciat, quod est, poenam in concreto promeritam irrogari delinquenti seu pluribus delinquentibus, vel innocentes absoluvi. Non alium itaque quam dictum finem habere debet dum inquisitionem specialem suscipit. Media quibus vritur iudex ad obtinendum hunc finem vero sunt *examen articulatum & probatio criminalis solennis (d).*

(a) Sunt

- (a) Sunt quidem qui defendunt inquisitionem specialem, non praemissa generali inquisitione, locum habere posse, veluti CARPOZOVIVS in *Praet. rerum criminalium Quæst. CVIII.* MEVIVS Part. V. Dec. CCCI. BEYER ad C. C. C. Art. VI. Pos. II. Ast verior est BOEHMERI in *Obs. ad CARPZ. Quæst. CVIII.* Obs. XI. sententia, nullam inquisitionem specialem sine generali esse.
- (b) Illustrationis gratia hic notandum, si delictum sumitur in sensu lato, in quo est actio subditi saluti publicae contraria, vel nulla poena promerita est, vel poena promerita est, & in posteriori casu alia poena est ea, quae in abstracto seu in thesi & in concreto seu in hypothesi promerita est, alia vero ea quae in abstracto quidem, non vero in concreto, promerita, prout vel ea poena est quae locum habet si delictum in se & secundum circumstantias omnes consideratur, vel ea, quae locum quidem habet, si delictum in se & secundum circumstantias ordinarias consideratur, non vero si secundum circumstantias extraordinarias consideratur. Vnde patet, ad condemnandum reum non sufficere constare quae poena sit ea quae in abstracto promerita, sed potius indagandum esse an ea poena quae in abstracto promerita est, sit simul poena in concreto promerita.
- (c) Quod attinet finem inquisitionis generalis, is eatenus conuenit cum fine inquisitionis specialis, quod & generalis inquisitio eo tendat ut determinari possit an & quae poena in concreto promerita sit. Ast differt tamen in eo a fine inquisitionis specialis, quod per inquisitionem specialem suppleantur, seu saltē supplere velit iudex, quae desunt ad hunc finem obtinendum, quod per generalem inquisitionem non fit. Praeterea & media ad finem ducentia quibus vtitur iudex, alia esse in inquisitione generali, alia in speciali, ex ipsis definitionibus §. I. patet.

B' 3

(d) Ex-

us, vel
tra ali-
litatem
abilita-

eo pro
ndinem
rtitudi-
em non
C. C.
ec. 561.
oris de-
peciem
aeterca

hic:
plenda
omeri-
e gene-
s inue-
xamen
vt offi-
m irro-
tes ab-
t dum
dex ad
& pro-

0 Sunt



(d) Exstat de fine inquisitionis specialis LEYSERI meditatio, quae in
EIVS med. ad ff. Spec. DLX. sub num. XI. obuenit. Statuit in-
quisitionis solennis duos esse fines, & primum eorum esse ne gra-
uiores poenae temere & tumultuose irrogentur, secundum vero ut
reum speciatim interrogando, circumstantiae omnes, tam quae ad
rei defensionem pertinent, quam quae reatum eius poenamque auge-
re possunt, certius eruantur. Si entia non sunt multiplicanda prae-
ter necessitatem, secundus Leyserianus finis sufficit. Is enim pri-
mum sub se comprehendit, dum secundo obtento simul primus ob-
tentus est.

§. IV.

De requisitis inquisitionis specialis.

Ardua, fateor, quaestio est, quomodo requisita inquisi-
tionis specialia determinanda sint. Rem omnem hic exaurire
nequeo, nec tamen simpliciter subscribere possum doctrinis Cri-
minalistarum in compendiis juris criminalis aliisque eorum scriptis
obuisi (a). Dicam itaque paucis quid hac de re sentiam, ut
principiis hic iactis, superstruere possim meam de sententia cri-
minali condemnatoria sine praevia inquisitione speciali sententiam.
Si requisita inquisitionis specialis determinanda sunt, respiciendum
est, tam ad personae, contra quam decernenda, conditionem,
quam ad praesentem caussae criminalis, post absolutam inquisi-
tionem generalem, statum. Quoad prius vnicum hoc requisitum
notandum: I. inculpatum esse talem personam contra quam inqui-
sitionis specialis locum habere potest (b). Quoad posterius varia re-
quisita adesse debent, quorsum referri debet, II. inquisitionem ge-
neralem legitimo modo absolutam esse, dum, quoniam nulla inqui-
sitionis specialis, siue praevia generali, locum habet, hanc legitimo
modo absolutam esse debere, antequam inquisitionis specialis inchoan-
da, necesse est. Porro requisitum inquisitionis specialis, quod con-

concernit caussae criminalis praesentem statum, est III. delictum in quod inquiritur tale esse, vt poena eius in abstracto, seu in thesi, promerita, tale malum contineat, quod superat illud malum quod oritur ex odiois effectibus inquisitionis specialis (c). Suppono itaque non nisi de poena in abstracto promerita constare, prout plerumque non nisi de ea constat finita inquisitione generali. Rebus sic stantibus vero inculpatum per inquisitionem speciali malum maius sentire, quam illud quod eum probabiliter expectat finita ea, regulis iustitiae repugnat. Licet vero haec dicta ad sint requisita, tamen contra inculpatum inquisitio specialis non decernenda, nisi accedat aliud, idque quartum requisitum, quod hoc est ex mea sententia: IV. militare contra inculpatum indicium, aut plura indicia, delicti quod in quaestione est ab eo commissi, tale vel talia, quod vel quae vincit vel vincunt generalem praesumptionem bonitatis (d). Indicia enim tantum praesumptionem operantur, cum qua semper in collisione est generalis praesumptionis bonitatis, quae militat pro quolibet homine. Hac itaque nondum elisa, regulis iustitiae repugnat inculpatum per inquisitionem specialem tali malo affici, quale ea secum fert. Ast in hac collisione praesumptionum, quaecunque indica vincere posse praesumptionem bonitatis generalem eo effectu, vt ex sola probabilitate talia mala sentire debeat inculpatus, qualia sunt quae oriuntur ex inquisitione speciali, nego & pernego (e).

(a) Aegre quidem turbo DD. circulos & defendo quae paradoxa esse videntur. Interim tamen negare nequeo, me varia desiderare in vulgari doctrina de fundamento inquisitionis specialis, seu requisitis ad inquisitionem specialem necessariis. Vnde valde miror haec tenus neminem, quantum recordor, hanc doctrinam ex instituto sub examen vocasse, quod p[ro]a multis aliis meretur omnino. Desunt hic leges positivae, dum arg. Art. 6. C. C. C. quo vii solent DD. nullius momenti est, sive omnia ex rei natura definienda sunt. Et hinc illae lacrymae!

Re-



- (b) Respectum personarum in foro criminali generatim habendum esse ab aliis iam satis euictum est, veluti a MANTZELIO in Diff. de respectu personarum in foro criminali habendo, & CARRACHIO in Diff. de reatu non omnem dignitatem excludente. Hinc & quoad odiosam inquisitionem specialem hic respectus locum habere debet, indeque oritur processus criminalis inquisitorius solennis irregularis, cuius §. I. mentio facta, dum loco inquisitionis specialis substituitur responsio ad certa puncta, de qua vid. LUDOVICI Einleitung zum peinlichen Proces Cap. 4. §. 2. LEYSERVUS in med. ad ff. Spec. 560. med. 50. & BERGERUS in Electis proces-
sui crim. Cap. III. Membr. II. Quae situm i.
- (c) Quoad hoc requisitum recedo a communi Criminalistarum senten-
tia, qui illud aliter determinare solent, dum defendunt delictum
de quo quaestio est, tale esse debere, quod in thesi minimum rele-
gationis poenam meretur. Ast, cum non sufficiat dixisse, sed pro-
babile, probatio vero hic deest, huic sententiae simpliciter subscri-
bere nequeo. Nec admitto per hanc determinationem magis de-
terminatum esse hoc requisitum, cum in applicatione iuris ad fa-
ctum, secundum eam determinationem huius requisiti quae a me
facta, facilius determinari possit, an illud adsit vel non, quam si
vulgari determinationi inhaeremus.
- (d) Licet omnes Criminalistae tanquam requisitum ad inquisitionem spe-
cialem necessarium admittant, indicia adesse quae militant contra
inculpatum: in eo tamen non conueniunt qualia esse debeant haec
indicia. Disputat de hoc requisito BOEHMERS ad CARPO-
VIVM Qu. 108. Obs. 3. & 4. & eligit medium sententiam dum
defendit indicia grauiora requiri quam ad inquisitionem generalem,
leuiora vero quam ad torturam. Ast recte iam monuit Perill.
KOCHIUS in Inst. iur. criminalis §. 582. haec nimis vague &
indeterminate dicta esse; vnde hoc requisitum magis determinat, dum
de-

defendit requiri indicia contra reum militantia, semiplenam ipsius delicti ab eo commissi probationem constitutentia i. e. vnum indicium proximum plene probatum; aut plura proxima connexa quorum quoduis semiplene probatum est; aut plura remota quorum quoduis plene probatum est. Pluribus in hoc requisitum inquiret HEIL in Procesu inquisitionis Cap. II. ss. 5. seqq. & praesertim §. 6. bene monet: non prætereundum esse, hic magnum discrimen subesse inter personas probosas, viles & abiectae vitæ, & inter alias, cum primis personas spectabiles & honestas. Licet itaque plerumque Criminalistæ magis determinare soleant hoc requisitum quam a me factum est, praesertim KOCHIVS in eo a reliquis Criminalistis se distinguat, quod magis determinauerit hoc requisitum ac vulgo fieri solet: eius determinationem tamen ideo admittere nequeo, quoniam & hic non sufficit dixisse, sed probasse. Probatio vero hic deficit, præcise semiplenam probationem delicti ab inculpato commissi adesse debere. Praesertim cum, vt iam monuit HEIL i. c. & hic respectus personarum habendus sit in foro criminali, sive quoad hunc leniora, quoad alium grauiora indicia requirantur, id quod sit, si ex mea sententia vis indiciorum aestimatur inde, an vincant vel non, generalem bonitatis præsumptionem. Licet vero ulterius determinari possit, qualia esse debeant indicia, vt vincant eam, huius loci tamen non est haec addi.

- (e) Me non fugit ab aliis plura requisita allegari tanquam talia quae ad inquisitionem specialem necessaria sunt: ast hi confundunt requisita ad inquisitionem in genere necessaria, cum requisitis inquisitionis specialis de quibus tantum loquor. Praesertim plerique requirunt de corpore delicti constare debere, licet iterum dissentiant in eo, quomodo de eo constare debeat ad effectum inquisitionis specialis. Monendum itaque me ideo, quod huius requisiti nullam fecerim mentionem, non negare requisitum ad inquisitionem specialem ne-

C

cef

um esse
Diff. de
ACHIO
Hinc &
habere
ennis ir-
specialis
OVICI
vs in
proces-

senten-
cium
m rele-
sed pro-
subscri-
ngis de-
s ad fa-
ae a me
quam si

em spe-
contra
ant haec
ARPZO-
m dum
heralem,
Perill.
ge & in-
at, dum
de-



— — —

cessarium esse, constare de corpore delicti. Ast nego hoc requisitum esse diuersum a quarto requisito, ex mea sententia ad inquisitionem specialem necessario. Est enim sub eo comprehensum seu ei inest hoc requisitum, dum, si constat de delinquentе, constat etiam de corpore delicti, & quatenus constat de delinquentе, eatus etiam constat de corpore delicti (§. II.). Quae cum ita sint facile definiri potest, quid dicendum sit de sententia **HOMMELII** in Diff. de certitudine corporis delicti §. 4-9. proposita, dum contra CARPOVIVM, FARINACIVM, COTHMANNVM, HER-TIVM, quibus facile alii addi possent, defendit, certitudinem corporis delicti ad inquisitionem specialem necessario non requiri, contra quam varia monuit. **BOEHMERVS** in med. ad C. C. C. Art. 6. §. 13. Mens **HOMMELII** non haec est, sine omni certitudine, quae ei vel certa vel probabilis est (not. e ad §. 2.), inquisitionem specialem locum habere posse: sed potius mens eius eoredit, sine omnimoda certitudine vestigiorum delicti (§. II.) ad eam progredi posse iudicem. **BOEHMERVS** vero contra eum disputans, verbis eius hunc tribuit sensum, quod neget simpliciter iudici constare debere de corpore delicti, si inquisitionem specialem decernere vult, quod ei, si quid video, in mentem non venit. Disputandum contra eum ex suis principiis, sieque secundum suam de certitudine corporis delicti notionem, ex qua satis patet, eum loqui potius de vestigiis delicti, quam de corpore delicti in sensu proprio, secundum eam differentiam quam supra (§. cit.) explicau. Praeterea hoc abunde patet ex eius verbis §. 4. obuiis dum inquit: *Deficit genuina ratio, quare, licet de ipso criminе commissō non constet, sufficiēt rāmen indicia adhī Titium deliquisse, contra hunc procedi non debeat.* Fac nudum cum nuda eodem fuisse repertum lecto, & alias suspectam conuersationem habuisse cum alterius coniuge, an peccabit iudex, aut nullitatē committit, si, licet deficiente adhuc viriusque partis uniformi confessione, tanquam certitudine corporis de-

requisiti, reos summariter ad articulos examinet, & caetera persae
inquisitio sum seu
at etiam
e, cate-
ita sint
MELII
im con-
HER-
em cor-
ri, con-
Art. 6.
itudine,
titionem
lit, sine
progre-
bis eius
debere
t, quod
contra
ine cor-
de vesti-
cundum
erea hoc
ficit ge-
et, suffi-
procedi
etto, &
uge, an
te adhuc
corporis
de-

delicti, reos summariter ad articulos examinet, & caetera persae
quatur, quae ad specialem inquisitionem necessaria sunt, etc. Cae-
terum & hic conferri meretur REINHART ad CHRISTI-
NAEVM Part. IV. Obs. 59. in qua euincit inquisitionem specialem
contra inculpatum indicis grauatum locum sibi vindicare, et si de
corpo delicti etiam permanentis non adeo liquido constet.

§. V.

De sententia criminali condemnatoria.

Tandem & de sententia criminali condemnatoria quae-
dam praemittenda sunt, ut tum inoffenso pede ad specialiorem
thematis tractationem progredi liceat. Sententiae criminales gene-
ratim reduci possunt ad eas quae defensionem rei concernunt & quae
tales non sunt. Mitto priores. Posteriores sunt vel interlocu-
toriae, vel definitiuae sententiae. Quod attinet interlocutorias sen-
tentias, eae sunt vel suspensiuae seu absolutoriae ab instantia (a)
vel non, quae vel supplant, vel emendant, vel actum futurum in-
iungunt, & actum futurum iniungentes sententiae interlocutoriae
sunt vel condemnatoriae, veluti ad inquisitionem specialem; ad
medium quodam eruendi veritatem, vel non condemnatoriae. De-
finitiuae sententiae vero sunt vel condemnatoriae, vel absoluto-
riae (b). Condemnatoriae sententiae definitiuae vel purae sunt,
vel conditionatae, dum adiectam habent conditionem resolutiuam,
nisi iuramento se purgauerit reus. Nec minus sententiae absolu-
toriae, vel purae, vel conditionatae sunt, dum absoluunt sub con-
ditione quadam suspensiua, quae vel praestatio iuramenti purgato-
rii (c), vel spontanea susceptio determinatae cuiusdam poenae, esse
potest. Quae cum ita sint variae dantur sententiae criminales con-
demnatoriae, suntque tales, 1) sententiae criminales interlocutoriae
eae quae condemnatoriae sunt; 2) sententiae criminales definiti-
uae condemnatoriae purae; 3) sententiae criminales definitiuae



condemnatariae conditionatae, sub conditione resolutua, nisi reus iuramento se purgaverit.

- (a) Dubia omnino quaestio est: *an sententia absoluens ab instantia ad interlocutorias, an vero ad definitiuas absolvitorias referri debat, & annon potius intermedium speciem inter sententiam definitiuam absolvitoriam & condemnatoriam constitutam?* PERILL. KOCHIVS in *Elem. iuris crim.* §. 899. eam refert ad species sententiae definitiue absolvitoriae. BOEHMERVS vero in *medit. ad C. C. C. Art. 99.* docet inter absolutionem & condemnationem dari aliquod intermedium, dum, vt ait, *causa nebulae & dubiorum labyrinthis non caret, ut condemnare durum, absoluere inconsultum, ulterius in causa procedere scrupulosum videatur, & ad hoc intermedium refert absolutionem ab instantia.* Ex mea sententia vero recte defendit HARPRECHT in *egregia Comm. de absolutione ab instantia in civilibus & criminalibus* §. 13. sententias ab instantia absoluentes ad interlocutorias referri debere.
- (b) Licit sententia interlocutoria suspensiua, sit etiam suo modo absolvitoria sententia, cum hac absolvitoria, quae est species sententiae definitiue, tamen non confundenda est, indeque eam potius sententiam *suspensiua* appellauit. Sed quaeri posset: *quid dicendum de dimissione reorum sine sententia?* de qua specialem dissertationem scriptis MOEGLINGIVS, cui iungi meretur MANTZELII *Diss. de honorifica dimissione innocentium Rostochii 1731.* habita. Differre eam a dimissione reorum per sententiam absolvitoriam definitiua, vt & a sententia absolvitoria ab instantia, negari nequit. Ast eam non idem operari quod operatur absolutio ab instantia, cum MOEGLINGIO l. c. §. V. defendi non posse, probauit BOEHMERVS in *Med. ad C. C. C. Art. 99.* §. 2. & 3.
- (c) Obueniunt quidem sententiae quae, praesito licet iuramento purgatorio, tamen condemnant. Ast mallem eas nihilominus ad hanc fen-

sententiarum speciem referre, quam earum causa nouam speciem addere. Tales sententiae magis absoluunt quoad poenam grauiorem promeritam, si reus iuramento purgatorio se liberare non potest a suspicione contra eum militante, quam quod condemnent.

SECTIO II.

DE

SENTENTIA CONDEMNATORIA SINE PRAEVIA INQVISITIONE SPECIALI IN SPECIE.

CAPVT I.

HISTORIA IVRIS ET LITTERARIA SPECIALISSIMA DE SENTENTIA CONDEMNATORIA SINE PRAEVIA INQVISITIONE SPECIALI.

§. VI.

Historia iuris specialissima huius argumenti.

Vix operae pretium esset hic quaedam de historia iuris specialissima huius argumenti moneri, nisi leges methodi, in conscribendis dissertationibus dogmaticis obseruandae, id a me exigerent (a). Nulla est, inter tot millia legum positivarum quae in Germania valent, lex, quae huius doctrinae sedes est. Prouocat

C 3

qui-

quidem BOEHMERVS (*b*) in explicatione diuisionis inquisitionis in generalem & specialem ad tres textus iuris canonici, nimurum ad c. 20. 21. & 24. X. de accusat. Sieque videtur historiam horum textuum huc referri posse, dum minimum diuisionem inquisitionis in generalem & specialem in iis fundatam esse, inde colligi posset, si & de sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali in iis nihil obueniat. Ast, cuilibet hos textus inspicienti statim patebit, eos nihil continere quod vlo modo huc trahi posset, indeque nec perspicio cur BOEHMERVS ad eos dicto loco prouocer. Prout vero in Iure canonico altum hac de re silentium: ita multo minus in toto Iure Romano aliquid obuenit quod huc trahi posset (*c*); licet obueniant in hoc iure sanctiones, de reo inaudito non condemnando, quae vero huc non pertinent (*d*). Vnde nemo a me exspectabit hoc loco legis VALERIAE de prouocatione & libertate populi, aut legis PORCIAE de ciuibus historiam, prout nec locum VLPIANI l. 6. §. 9. ff. de iniusto, rupto & irrito testamento hic tractabo. Quod tandem attinet germanicas leges, & in iis nihil obuenit de hoc themate. Praesertim nec articuli C. C. C. de inquisitione (*e*) & de sententia condemnatoria (*f*) tale quid continent, quod facit ad praesentem doctrinam. Vnde quid iustum sit quoad sententiam condemnatoriam sine praevia speciali inquisitione, vnice ex rei natura & iuris analogia definitum.

(*a*) Videantur quae hac de re' dñs sunt in Diff. de expensarum & pretii restitutione in retrovenditione sub praesidio PERILL. Dn. PRAESIDIIS defensa §. 19.

(*b*) In clementis iurisprud. crim. loco supra not. a. ad §. I. citato.

(*c*) Inde etiam, quod in foro romano exulauerit inquisitio, non mirum est hoc ius nihil continere, quod praesens thema concernit. Eorum sententia enim qui cum LEYSERO in Med. ad Pand. Spec. 560. Med. 10. defendant Romanis cognitam fuisse nostram inquisitionem nul-

nullum habet fundamentum, per ea quae docuit I. H. BOEHMER in I. E. P. Tit. de accusationibus. *sf. LXXXI.*

- (d) Conseratur de sahm in Obseruatione : ob icemand von der Obrigkeit ungebärt mit Recht verurtheilt oder gar vom Leben zum Tode gebracht werden kenne. *EIVS kleinen teutschen Schriften, num. VII.* inserta.
- (e) Quum Germanis non minus, quam Romanis olim incognita fuerit inquisitio, antequam ea per Ius Can. recepta, frustraneum est hic inquirere in antiquos Germanorum mores, nec huius loci sunt quae de sententiis condemnatoriis eorum qui nec confessi, nec confisi sunt, obueniunt.
- (f) Huc pertinent Art. VI. vsque ad Art. X. qui vero nequidem differentiam inter inquisitionem generalem & specialem continent, multo minus definiunt, an & quando index inculpatum, neglecta inquisitione speciali, condemnare possit.
- (g) Noti sunt praeter alios Art. CXC. vsque ad Art. CXCVIII. qui de sententiis condemnatoriis agunt, ast non ita vt indicem instruant, quando reus condemnandus sit, dum non nisi de formula sententiae capitalis condemnatoriae quaedam praecipiunt.

§. VII.

Historia litteraria specialissima huius thematis.

Quod attinet historiam litterariam specialissimam huius the-
matis, ingenue fateor me ignorare talia quae huic referri possent.
Doctrina de sententiis condemnatoriis sine praeciuia inquisitione spe-
ciali, est pars theoriae artis decretoriae criminalis. Prout itaque
tota theoria huius artis vulgo negligitur, & quod mirandum, in
tot nouis compendiis iuris criminalis quae successiue prodierunt,
nec eius mentio sit, nec etiam, licet non sub hoc nomine, veri-

tates ad eam pertinentes debito modo tractantur; ita & haec eius particula haec tenus neglecta est. Praeterea autores, qui artem decretoriam in genere tractarunt, licet eam eius partem, quae causas criminales concernit non plane negligant, vel nihil tradunt de modo decernendi in processu criminali finita inquisitione generali, vel tantum definiunt, an & quando inculpatus tum sit absoluendus, de eius condemnatione vero silent (*a*). Nec mihi notum est speciale scriptum de sententiis criminalibus condemnatoriis, vel in genere, vel in specie in casu, quo, finita inquisitione generali, nec absolui, nec ad inquisitionem specialem trahi potest inculpatus, sed potius vel pure, vel conditionate condemnandus est (*b*). Quae cum ita sint, hic nec I^Torum quorum extant in hanc doctrinam merita, nec fata huius doctrinae quae eius culturam concernunt (*c*), recenseri, nec etiam, quoad notitiam scriptorum iuridicorum, obseruationes litterariae eam concernentes addi possunt.

(*a*) *Vt dictis fidem faciam, prouoco ad ipsa horum scriptorum loca.*
*Sic e. g. HOMMELIUS in der kurzen Anleitung Gerichtsaeta geschickt zu extrahiren, zu referiren und darüber eine Sentenz abzufassen Abth. III. Hauptß. VI. VII. VIII. in vnico §. CLXXXIII. ea absolvit, quae hac de re docuit, & tantum abest eum definiuisse, an & quando, finita inquisitione generali, sententia condemnatoria locum habere possit sine praevia inquisitione speciali, vt potius contrarium defendat, dum ait: *wird das delictum inquisitions maßig befunden, so ist weder auf ein medium eruendae veritatis, noch auf eine Strafe zu erkennen, ehe und bevor der Beschuldigte über Artikel vernommen worden.* Und dieses muß auch so dann geschehen, wenn er das delictum bereits gestanden. Iedoch kann in diesem Fall die Strafe zugleich mit angehänget werden. Similiter V. C. CLAPROH^T in den Grundsatzen von Verfertigung der Relationen aus Gerichtsacten. Cap. 10. §. 191.*

ſ. 191. in quo ex instituto tractare vult doctrinam de relatione super instituenda inquisitione speciali, paucis se expedit ita: Wenn wieder geehrte oder unbescholtene Personen wegen eines inquisitions-mässigen delicti Verdacht entstanden ist, und Bedenken eintritt, ob die inquisitio specialis statt finde oder nicht, so ist darüber ein Schlus zu fassen, mithin zu solchem Ende die behufige Relation abzustatten. In Ansehung des Extracts &c. In Ansehung des voti hat der Referent bey sich zu überlegen und auszumachen, ob inquisitio specialis anzustellen, oder ob davon zu abstrahiren und eine der Sache gemäss Verordnung zu machen. Dieses veroffenbaret sich, wenn wiederum qualitas delicti, corporis delicti, personae delinquentis und indiciorum in Erwagung gezogen wird. Conferantur etiam WERNHERI principia iurisprudentiae formulaiae P. II. Cap. I.

ſ. III. IV. V. vbi quidem varia asserta concernunt modum decernendi in causis criminalibus quoad inquisitionem specialem: ast, de sententia condemnatoria absque praevia inquisitione speciali, ibi, & in toto libello, nihil obuenit.

(b) Licet scriptum, cuius in *not. d. ad ſ. prae. mentio* est facta, hue referri posse videatur: illud tamen partim nullius momenti est, partim non exhaustit hanc doctrinam.

(c) Quoad fata doctrinae de differentia inter inquisitionem generalem & specialem, quando nimirum, & qua occasione, haec differentia, in sana ratione potius, quam in legibus positivis fundata, orta sit, quaedam addi quidem possent, quae vero, cum proprie praesens thema non conceruant, hic praetermittenda sunt.

D

CAP. II.

c eius
arrem
quae
il tra-
fitione
um sit
c mihi
mnato-
fitione
poteſt
handus
tant in
cultu-
cripto-
es addi-

m loca.
chta
Sentenz
nico §.
m abest
ententia

e specia-
delictum
medium
und be-
Und

i bereits
mit an-
Grund-
Cap. 10.
ſ. 191.



C A P V T I I .

D E

SENTENTIA CONDEMNATORIA SINE
PRAEVIA INQVISITIONE SPECIALI, CESSANTI-
BVS EIVS REQVISITIS.

§. VIII.

Ordo dicendorum.

Finita inquisitione generali, aequo possibile est cessare requisita ad inquisitionem specialem necessaria, quam ea adesse. Quodsi nunc ponis ea cessare, siue omnia, siue hoc vel illud eorum, certissimum quidem est inquisitionem specialem non esse decernendam: ast tamen inde non sequitur, semper non nisi sententiam interlocutoriam, vel suspensiua (*a*), vel aliam (§. V.), locum habere. Dantur potius casus in quibus, tam cessantibus requisitis inquisitionis specialis, sicque ea ideo non praeuia, quoniam locum habere nequit, quam iis non cessantibus, inculpatus condemnandus est (*b*). In hoc segmento itaque determinandum, quinam sint illi casus in quibus inculpatus sine praeuia inquisitione speciali condemnari potest, quando ea ideo praecedere nequit, quoniam desunt eius requisita. In sequenti segmento vero definiendum, quatenus hoc fieri possit, licet adsint requisita ad inquisitionem specialem necessaria. Est autem finita inquisitione generali vel ita ut cessent, vel ita ut adsint requisita inquisitionis specialis, quadruplex status caussae criminalis, in relatione ad sententiam nunc ferendam consideratus, possibilis, dum inculpatus 1) vel nec confessus, nec conuictus est; 2) vel confessus quidem, ast non conuictus est; 3) vel vice versa conuictus quidem ast non confessus est; 4) vel tandem confessus & conuictus est. Haec theoria itaque, ut sit completa, ad omnes hos casus est extendenda, ita ut determinetur

tur an & quae condemnatoria sententia in his quatuor casibus locum habeat.

- (a) Licet sententia interlocutoria suspensiua, cum condemnatoria non sit, praesens thema non concernat: monendum tamen, vnicum casum, in quo sententiae huius generis obueniunt, esse eum, si, legitimo modo finita inquisitione generali, nec specialis inquisitio, nec absolutio, nec condemnatio ad poenam locum habet, dum alius cassus cogitari nequit in quo suspendenda est inquisitio. Formula pronuntiandi vero, qua vtendum si sententia est interlocutoria suspensiua, haec est: *dass in Mangel hinlänglicher Anzeigen noch zur Zeit wieder inculpaten nichts weiter vorzunehmen, cum adiecta hac clausula: es sind aber die acta verwahrlich hinzulegen, auf des Inculpaten Leben und Wandel genaue Aufsicht zu haben, auch so bald sich ein anderweitiger Verdacht aussert, ferner weit in dieser Sache zu verfahren, quoniam caussa non decisiva, sed suspensa est.* Haec clausula vero semper addenda, nec cum KRES. sio ad Art. 99. C. C. C. ad eam speciem restringenda, in qua spes adest plura aliquando contra reum valde suspectum detectum iri, cum haec spes nunquam deponenda.
- (b) Finita inquisitione generali ita, vt desint requisita ad inquisitionem specialem necessaria, non potest non, vel sententia interlocutoria varii generis, vel definitiua condemnatoria sequi. Sententia definitiua absolutoria pura vero, fere nunquam locum habere potest, quoniam adesse indicis grauatum necesse est, si in inquisitione generali adest inculpatus, isque, iis non elisis, definitiue absoluui nequeat. Nisi itaque haec indicia forsitan elisa sunt dum iudex adhuc occupatus est cum inquisitione generali, definitiua absolutoria sententia non habet locum. Vnde, cum formula pronuntiandi: *dass Inquisit von der angestellten inquisition zu entbinden und loszusprechen, prae supponat prae uitam inquisitionem specialem, per quam iudex frustra efficere tentauit, inquisitum fieri*



vel ita confessum ut poena locum habeat, vel conuictum, ea non nisi tum vtendum, si per inquisitionem specialem finis eius (§ III.) dicto modo obtineri haud potuit. Si itaque forsan inquisitione generali finita, indicia contra inculpatum militantia iam sunt elisa, potius is modus pronuntiandi, cuius in nota praecedente mentio facta, adhibendus esset, ast demtis verbis: *noch zur Zeit & sine adiecta clausula: es sind aber &c.* dum elisa per hypothesis indicia nunquam resuscitari possunt. Verba: *im Mangel hinlänglicher Anzeigen* in dicta formula obvia vero etiam tum, si indicia sunt elisa, adhiberi possunt. Interim tamen, cum verba: *im Mangel ut & kinlänglicher*, in dicta formula potius intelligenda de plane deficientibus indicis ad inquisitionem specialem necessariis, quam de elisis, potius loco verborum: *im Mangel hinlänglicher Anzeigen*, aliis magis adaequatis verbis vtendum, sive hic pronuntiandi modus eligendus: *dass wieder Inculpaten, da er die wieder ihm streitende Anzeigen hinreichend von sich abgelehnet, wieder nichts vorzunehmen.*

§. IX.

Primus casus in quo condemnatio sine praevia inquisitione speciali fieri potest cessantibus inquis. spec. requisitis.

Quod itaque attinet casum primum, in quo inculpatus, finita inquisitione generali ita, ut cessent requisita inquisitionis specialis, nec confessus, nec conuictus est, aut in hoc casu indicia contra eum militantia sunt elisa, aut non. Si prius nullam condemnatoriam sententiam, sive interlocutoriam, sive definitiuam, locum habere posse, sed semper pure absoluendum esse inculpatum, in aprico iacet. Vnde, cum hic locum non habeat sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali, quae huc pertinent, iam praecoccupauit (a). Ast si posterius, itidem quidem absoluendus

dus est inculpatus, non vero per sententiam definituam absolutioriam puram, sed per sententiam absolvitoriam conditionatam, conditionem praestiti iuramenti purgatorii continentem. Hoc inde patet, quod, non elisis-indiciis contra inculpatum militantibus, is nunquam absolu possit, aliud vero medium elidendi ea, si finita inquisitione generali nondum elisa sunt, hic, dum cessantibus requisitis ad inquisitionem specialem necessariis ea decerni nequit, locum habere nequear, quam iuramentum purgatorium (b). Quae cum ita sint abunde patet: in casu primo de quo hic loquor, sententiam definituam condemnatoriam quidem nunquam locum habere posse: ast tamen aliam sententiam, quae condemnat (c), se qui posse, dum, si inculpatus non nisi sub conditione praestiti iuramenti purgatorii absolvitur, is, licet non ad poenam, tamen ad purgatorii iuramenti praestationem condemnatur (d).

(a) Vide notam b. ad §. praecedent. Hic tantum addo, non obstarre huic opinioni quam defendo, non solum secundum *Ius Rom.* sed & secundum *Ius Germ.*, immo secundum ipsam *Nemesis Carolinam*, non obstante Art. 22., ad crimina leuiora non extendendo, reum ex solis praesumptionibus, seu, quod idem est, nec confessum, nec conuictum, ob leuiora crimina condemnari posse, id quod post alias, praesertim REINHARDTV in Diff. de reo ex praesumptionibus conuincendo, eniçum dedit Illustrissimus S. R. I. Comes FRID. ERNEST. de SCHOENBERG in theſibus iuris criminalis quae probant delinquentem neque confessum, neque conuictum, condemnari posse, quas sub Praefidio V. C. 10. AVG. REICHARDT defendit. Ego enim loquor de sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali, non de ea quea post eam iam ceptam, ferenda, & quidem in casu quo inquisitio generalis ita finita ut desint requisita ad inquisitionem specialem necessaria. Tum vero non adeat tanta prae sumptio, quanta requiritur ad condemnandum nec confessum nec conuictum.

D 3

(b) Op-

(b) Optarem ob lubricitatem iuramenti purgatorii hic aliud emergendi medium excogitari posse. Ast sub hac caussae figura, inquisitionem generalem ita finitam esse, vt desint requisita ad inquisitionem specialem necessaria, non video quid hic substitui posset. Aliud medium eruendi veritatem praeter confrontationem, per ea quae de ea defendit LEYSERV S in Med. ad ff. Spec. 560. med. 33. quae vero nihil operare solet, leges hic non admittunt. Porro nec hic loco sententiae definitiæ absolucionis sub conditione suspensiva: si inculpatus iuramento se purgaverit, substitui potest definitiæ condemnatoria sub conditione resolutiæ: nisi iurare velit, dum nec sub conditione resolutiæ quacunque condemnari conuenit talem, qui indiciis ad inquisitionem specialem necessariis non est grauatus; indeque hoc temperamentum quod admittit HOMMELIVS in der Anleitung Gerichtsaetza zu extrahiren &c. Abtb. 2. Hauptß. 7. §. 201. hic trahi nequit, sed pertinet ad decisiones quae fiunt praevia inquisitione speciali, nec sic erit iuramentum purgatorium. Interim & hic locum habere posset temperamentum HEYMI in obseruationibus, quas suae editioni WERNHERI iurioprudentiae formulariae Par. post. Cap. I. §. XII. Obs. IX. adiecit, dum inquit: In eligendo veritatem eruendi medio non tantum ad indicia respicitur, sed etiam personarum habetur ratio. Hinc aliquando ob indiciorum infirmitatem in uno & metum periuiri in altero, neutrum adhiberi potest, sed inculpatus dimititur, hac adiecta formula sententiae: das wieder N. in Ermangelung mehreren zur Peinlichkeit hinlanglichen Verdachts, und weil ihn zum Reinigungseide zu lassen bedenklich, weiter nichts vorzunehmen. Ast haec formula hic sic mutanda, vt loco verborum: mehreren zur Peinlichkeit hinlanglichen Verdachts ponantur verba: zur Specialinquisition hinlanglicher Grunde.

(c) Con-




- (c) Condemnatoriae sententiae in genere variae dantur species. Sunt inter eas tales quae interlocutoriae sunt, ut & tales quae definitiuae sunt (§. V.). Ea condemnatoria sententia quae hic obuenit, talis sententia condemnatoria est quae definitiuam absolutoriam sententiam conditionalem facit. Nimirum sententia quae subsequitur inquisitionem generalem deficientibus inquisitionis specialis requisitis, in praesenti casu, in quo inculpatus nec confessus, nec conuictus est, nec etiam indicia quae contra eum pugnant elisa sunt, a potiori suo effectu omnino ad sententias definitiuae absolutorias referri debet; ast non puras, sed conditionatas, & conditio quae ei inest efficit eam, licet absolutoria sit respectu poenae, simul tamen quoad id, quod in conditione est, pro condemnatoria habendam esse.
- (d) In theoria artis decretoriae criminalis duplex obuenit sententia condemnatoria ad purgatorium. Ea de qua hic sermo est, siveque talis est quae, non praevia inquisitione speciali, sententiae definitiuae absolutoriae instar conditionis suspensiuae, praemititur; & ea quae subsequitur praetiam inquisitionem specialem, dum, si inquisitus nec confessus nec conuictus, durioribus mediis eruendi veritatem cestantibus, condemnatio eius ad purgatorium, sententiis definitiuis, tam condemnatoriis, quam absolutoriis, tanquam conditio inseritur. Hae sententiae itaque differunt inter se, indeque nec eadem formula pronuntiandi, sed aliquo modo diuersa, vtendum. Scriptores formularii vero semper ante oculos habuisse videntur sententias condemnatorias ad purgatorium posterioris generis. Huius loci est sententia condemnatoria ad purgatorium prioris generis, quam continere necesse est 1) quis iurare debeat; 2) auisationem eius per iudicem; 3) quid iurandum 4) effectum praestiti iuramenti, nimirum absolutionem con-

di-

ergendi
quisitio-
sitionem
Aliud
ea quae
ned. 33.
rro nec
suspens-
defini-
e velit,
conuenit
nen est
OMMEE
Abtb. 2.
cisions
mentum
eramen-
R NHE
Obs. IX.
on tan-
ratio.
n periu-
ittitur,
ngeling
veil ihn
rzuneh-
borum:
verba:

Con-





ditione iuramenti existente, addita in casum deficientis conditionis condemnatione. Ast 1) ausatio per clericum vel clericos, pro re nata vel iniungitur, vel non; 2) nunquam in casum conditionis iuramenti purgatorii praestandi deficientis, vel existentis, sit remissio ad futuram sententiam; quod utrumque quoad alteram speciem harum sententiarum non simpliciter valet. Formula pronuntiandi generalis itaque haec est: *Würde — — (determinatio eius vel eorum qui iurare debent) — — nach vorhergehenden scharfen Verwahrung vor der schweren Strafe des Meineides — — (pro re nata: wobey auch ein Geistlicher, oder mehrere Geistliche zu gebrauchen) — — vermittelst Eides sich reinigen und das — — (quid iurandum) — — schwören; so ist mit vel wieder — — (particula relativa) — — weiter nichts vorzunehmen. Daferne aber — — (particula relativa) — — solchen Eid abzuschwören nicht vermöchte, so ist vel sind — — (particula relativa cum poena eventualiter determinata) — — schuldig vel pflichtig.*

§. X.

Casus secundus huius generis.

Progrederior ad casum secundum, in quo inculpatus finita inquisitione generali confessus quidem, ast non conticetus est, nec tamen locum habet inquisitio specialis quoniam cessant requisita eius. Hic ante omnia distinguendum, an delictum quod confessus est inculpatus, sit tale cuius poena est poena mortis, an vero tale cuius poena est alia leuior poena. Si prius semper adsunt requisita ad inquisitionem specialem necessaria, sicque tum hic casus ad praesentem tractationem non pertinet, indeque remittendus est ad sequens segmentum. Tertium & quartum requisitum inquisitionis specialis (§. IV.) enim hic semper adesse per se pater,

&

& licet forsan primum vel secundum desit, hoc tamen non ita influit in decisionem quaestio[n]is de sententia condemnatoria locum habente, vel non, vt hic attendendum sit. At si *posteriorius*, aequo possibile est requisita inquisitionis specialis abesse quam adesse. Quodsi itaque inculpatus in inquisitione generali confessus est tale delictum quod non est capitale, & desunt requisita inquisitionis specialis, sive sententia interlocutoria per quam ea decernitur locum non habet, omnino per sententiam condemnatoriam definitam, eamque puram, sine praevia inquisitione speciali condemnari potest inculpatus. Habemus hic reum confidentem ita, vt confessio eius sit, quoniam in inquisitione generali facta, confessio iudicialis & spontanea seu vltro facta confessio (*a*). At enim vero posita tali confessione, adest certitudo delinquentis, nisi forsan veritati confessionis obstet, vel impossibile esse, delictum quod confiteretur ab eo commissum esse, vel probabilis error (*b*). Quid itaque obstat quo minus, dictis limitationibus cessantibus, condemnari possit inculpatus, licet sit tantum confessus & non simul coniunctus. Nihil quoque interest, an eius confessio sit nuda, sive nullis indiciis, an vero non nisi iis indiciis, quae iudicem permouerunt inquisitionem generalem contra eum diligendi, stipata. Nec hic attendendum esse defendo, an poena delicti quod confessus est inculpatus, quae non est per hypothesin poena mortis, sit alia grauis immo grauissima poena, an vero leuis; prout eriam deficiens certitudo vestigiorum delicti hic non obstat quo minus iudex condemnaret reum confessum. Haec omnia enim non efficere possunt deficere certitudinem delinquentis, si vero ea adest, iudex potest & debet condemnare inculpatum (*c*).

(*a*) Cum, praesertim in criminalibus, multum interfit, an confessio inculpati sit iudicialis, vel extrajudicialis, & in priori casu, vel vltro facta, vel non, probe notandum me hic semper loqui de confessione iudicali vltro facta seu spontanea.

E

(*b*) Si



(b) Si ponis inculpatum qui, prout hic, sponte iudicialiter confitetur delictum, praeter impossibilitatem delictum ab eo commissum esse, vel probabilem errorem, certitudini delinquentis nihil obstat potest, quam confessionem eius falsam esse posse, vel ob taedium vitae, vel ob metuendam, si non confitetur, inquisitionem specialem, & praesertim in ea obuenientem mediorum veritatem eruendi usum. Prius tam quam posterius hic cessant, dum loquor de delicto cuius poena non est mors, & de casu in quo cessant inquisitionis specialis requisita. Hinc sub data hypothesi adesse certitudinem delinquentis optimo iure defendi potest. Caeterum per se patet me hic supponere generalia omnis validae confessionis requisita, de quibus vides HEINECCIVM in *Diff. de religione iudicantium circa confessionem reorum.* §. seqq. BOEHMERVM ad CARPZOVIVM Quæst. CXIV. Obs. 1.

(c) Delinquentem condemnari posse, si adest certitudo eius, nemo negavit unquam. Certitudo delinquentis vero oritur, vel ex sola confessione, vel ex sola conuictione, vel ex utraque simul. Licet vero, quod attinet confessionem, ea non semper certitudinem operetur, per iam dicta nota praecedente tamen facile per se patet, hic ei obesse non posse quod sit nuda, & poenam, quae non est mortis poena, esse grauem immo grauissimam, cum, si nec vitae taedium, nec odiosi effectus metuenda inquisitionis specialis, confessionem suspectam faciunt, tantum abest poenae grauitatem certitudini eius obesse, ut potius ea efficiat, maiorem fidem esse habendam confessioni. Quod vero attinet vestigiorum corporis delicti certitudinem, videtur quidem eius defectum minuere fidem confessionis: ast per dicta §. II. num. II. nec is hoc efficere potest. Et quid si concederem, tum cessare certitudinem delinquentis, remanet tamen maxima probabilitas confidentem delictum, quod iudicaliter sponte confitetur, commisso, & haec vero hic sufficit ad condemnationem, cum sint qui defendant summum gradum probabilitatis sufficere ad

ca-




capitalem poenam infligendam. Vid. CHRIST. HAGENBRVCH
Medit. iuris crimin. de effectu spontaneae confessionis in crimina-
ibus deficiente corpore delicti, §. XXIII. seq.

§. XI.

Casus tertius & quartus huius generis.

Sequitur casus tertius, cum quo quartus coniungendus, qui sunt hi, inculpatum finita inquisitione generali non quidem confessum, ast tamen conuictum (a) esse, vel eum & confessum & conuictum esse, cessare vero requisita ad inquisitionem specialem necessaria (b). In his casibus semper cessat quartum requisitum inquisitionis specialis (§. IV.), reliqua vero cessare quidem possunt, ast non semper cessant. Pone itaque cessare ea & quidem tertium, quod hic tantum attendendum, cum, primum & secundum cessare vel non, nil interfit, si, prout hic, quaestio est de sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali. Quae cum ita sint, & cum reum conuictum, qualis hic in utroque casu est inculpatus, definitiue & pure condemnari posse nemo vñquam negavit, praeterea ob cessans tertium requisitum inquisitionis specialis, poena promerita nec capitalis, nec alia grauis poena est, in his casibus sententiam condemnatoriam definitiua puram locum habere in aprico iacet. Nec opus fuisset horum casuum mentionem fieri, nisi ideo silentio praeteriri non potuerint, vt omnes casus allegentur in quibus sententia condemnatoria locum habere potest sine praevia inquisitione speciali, sive haec theoria sit completa.

(a) Prout reus *confessus* talis fit per confessionem: ita reus *coniuctus* talis fit per probationem criminalem. Coniuctus enim dicitur is contra quem plene probatum est delictum, & sub probationis criminalis nomine in processu inquisitorio venit is actus, quo index ex officio per documenta, vel testes veritatem eorum, quae inquisi-



tus sponte confiteri non vult, evincere tentat. Vnde per indicia nemo confessus vel conuictus fit, sed *suspectus*, qualis est is contra quem militant indicia delicti ab eo commissi, dum indicia sunt tale quid ex quo probabiliter colligi potest, vel corpus delicti, vel delinquens. Conf. BARTHII Diff. de conuicto non confessio in iudicio criminali Cap II.

- (b) Ne quis obiciat hunc casum pertinere ad casus non dabiles, monendum non semper in inquisitione generali causas criminales levato velut iuris velo tractari. Hinc fieri omnino potest, iudicem in inquisitione generali officii sui partes exacte impletentem, hoc impensi studii reportare praemium, inculpatum non tantum nouis indicis grauari, per ea quae in inquisitione generali quoad delinquentis inuestigationem suscipit, sed &, licet raro, eum, non praevia inquisitione speciali, fieri conuictum. Ad hoc efficiendum enim, per ea quae in nota praecedente dicta sunt, praeccise non requiritur probatio criminalis solennis, quae est actus inquisitioni speciali proprius; sed & probatio non solennis efficere potest suspectum fieri conuictum, praesertim quoad delicta leuiora. Vnde recte instruit futurum iudicem *Vir Ill. CAROL. FRID. WALCHIVS in der Einleitung in die Wissenschaft aus Aetern einen Vortrag zu thun und daneben zu erkennen L. 1. S. 2. C. 2. §. 12.* his verbis, in quibus ei de inquisitione generali sermo est: Damit der Proces so viel moglich abgekuerzt wird, richtet sodann der Referent sein Augenmerk auf den Fall, wenn der Inquisit die ihm gemachten Beschuldigungen bey dem articulirten Verher verneinen sollte und untersucht ob noch z. E. mittelst der Confrontation, Vereydung der Zeugen u. s. w. etwas so den Inquisiten annoch verdächtiger mache, oder gar ihn ueberföhren könne, herauszubringen sey.

CAP. III.

C A P V T III.

D E

SENTENTIA CONDEMNATORIA SINE
PRAEVIA INQVISITIONE SPECIALI, REQVISITIS
EIVS NON CESSANTIBVS.

§. XII.

*Principium generale de his sententiis condemnatoriis & ordo dicen-
dorum.*

Vulgarem doctrinam Criminalistarum, tum, si adsunt finita inquisitione generali, ad inquisitionem specialem necessaria requisita (§. IV.), nec definitiue condemnandum, nec absoluendum esse inculpatum, sed decernendam esse inquisitionem specialem, siveque in hoc casu locum habere sententiam interlocutoriam actum futurum iniungentem (§. V.), per quem miser inculpatus trahitur ad inquisitionem specialem, & ii non ignorant qui primis tantum labiis degustarunt iurisprudentiam criminalem. Secundum Slendrianum, practicorum magnum magistrum, itaque firmiter inhaerent huic principio & inquisitionem specialem semper decernunt, si, quoad inculpati personam, is est talis qui ab ea immunis non est, & quoad caussae criminalis statum ex actis apparet inquisitionem generalem legitimo modo esse peractam, praetereaque adest inculpatus quem talibus indiciis, quoad tale delictum, qualia & quod ad inquisitionem specialem sufficere credunt, grauatus est (a). Ast, secundum veram theoriam artis decretoriae criminalis de sententiis quae determinant quomodo, legitimo modo finita inquisitione generali, ulterius in caussa criminali procedendum sit, haec doctrina admitti nequit. Principium generale enim, quod hic est instar cynosurae, potius sic determinandum est: *Si finita inquisitione generali adjunt omnia ad specialem inquisitio-*

E 3

nem

nem necessaria requisita (§. IV.), & nec plane cessat finis inquisitionis specialis (§. III.), nec etiam is alio, minus molesto & odioso, modo, quam per inquisitionem specialem, obtimeri potest, decernenda est inquisitio specialis. At, si vel desunt dicta requisita, sive omnia sive unum alterumue eorum, vel, licet omnia adfint, dictus finis vero, vel plane cessat, vel alio modo minus molesto & odioso obtineri potest, ea nunquam decernenda: sed potius iam nunc semper condemnandus est inculpatus, siveque tum semper locum habet sententia condemnatoria sine praevia inquisitione speciali (b). Cum vero vterius determinandum, sub quo caussae criminalis statu vel cesser finis inquisitionis specialis, vel is alio modo minus molesto obtineri potest quam per inquisitionem specialem, & praeterea dentur variae species sententiarum condemnatoriarum, hoc id est de quo nunc agendum secundum supra (§. VIII.) determinatam casuum diuersitatem, secundum quam etiam in capite precedente definitum est, quando sententia condemnatoria locum habeat, si finita inquisitione generali cessant inquisitionis specialis requisita.

(a) Et quid mirum est hoc fieri? In compendiis iuris criminalis, absolutam doctrinam de inquisitione generali, excipit doctrina de inquisitione speciali, cuius requisita determinantur ita, vt iis positis ad inquisitionem specialem progrediendum sit. Dein in theoria de sententia criminali, quid & quotuplex sit, traditur, praeteraque nihil. De arte decretoria criminali vero altum vbiique est silentium. Sic instructus tyro, nunc ad praxin criminalem se conuertit, & sine theoria artis decretoriae decernit in causis criminalibus secundum suum compendium. Quod si nunc vltra illud non sapit, librorum notitia destitutus est, vel saltem, si ea destitutus non est, libris caret, non potest non inde oriri peruersa praxis.

(b) Nullam adieci demonstrationem huius principii, quoniam mihi persuasum habeo hic sufficere, dixisse. Si enim adhuc verum est, fine cef.

cessante, cessare media ad eum finem alias adhibenda: ut &: quod fieri potest per pauca non debet fieri per plura: hoc principium verum esse necesse est. Nonne praeterea inquisitio specialis, si finis eius cessat, vel is alio modo minus molesto & odioso obtineri potest, est mera formalitas, & quidem talis quae iudicii quam maxime molesta, & misero inculpato perquam fatalis est? Nonne sic, sine urgente necessitate, tempus inutiliter consumitur & sumptus augentur? Optarem itaque L E Y S E R V U M , qui in Spec. DLX. Med. ad Pand. Med. XI. de se ipso refert: Saepe ego quando solennem illam & sumptuosam inquisitionem in delictis apertis, antequam poena infligeretur, decerni, animaduersti, damnaui hanc praxin &c. in sua sententia persistitis: ast mutasse eam in sequentibus verbis declarat. Falsum praetudicium est, examen summarium in inquisitione generali non sufficere ad detegendam veritatem, sed hoc demum obtineri per examen articulatum, dum, ut bene docuit BOEHMERVS in Obs. ad CARPZ. Quaest. CVIII. Obsru. I. coinquisitio circumstantiarum ad inquisitionem generalem pertinet. Argumentum a litis contestatione solenni in processu civili ordinario obnienter, non quadrat ad processum inquisitorium solennem. Hic iudex, etiam in inquisitione generali, examinat & indagat delinquentem seu delinquentes, quatenus hoc fieri potest per aetus ad inquisitionem generalem pertinentes, praesertim per summarium inculpati examen, & inculpatus respondere debet iudicii quaerenti: ibi vero reus non examinatur a iudice, sive, nisi ad solennem litis contestationem obstrictus esset, responsio eius saepissime nimis generalis & vaga foret.

§. XIII.

inquisi-
& odio-
test, de-
requisi-
tia ad-
mūs mo-
l potius
sempē
uisitione
causae
o modo
eciale,
inatoria-
(§. VIII.)
n in ca-
emnato-
isitionis

is, abso-
a de in-
is positis
eoria de
tereaque
lentium.
ertit, &
s secun-
apit, li-
non est,

nihi per-
est, sine
ces-



§. XIII.

De casu primo in quo condemnatio sit sine praevia inquisit. spec. licet eius requista ad sint.

Dum primus casus ex iis, in quibus condemnatio inculpati finita inquisitione generali fieri potest non praevia inquisitio ne speciali, et si adsint omnia ad eam necessaria requisita, expendendus, qui hic est, inculpatum nec confessum nec coniunctum esse, de eo praemittendum, hunc esse eum casum qui plerumque contingit, dum inculpatum negare, eiusque conuictiōnem per inquisitionem generalem non obtineri, ordinarium est. Quod nunc attinet definitionem, quomodo in hoc casu pronuntiandum sit, quilibet vel me non monente videt, inculpatum, si pure condemnatur in poenam, ex solis indiciis absque urgente necessitate condemnari, dum per hypothesis, nec confessus, nec coniuctus est, & tamen, cum adsint per hypothesis necessaria requisita ad inquisitionem specialem, si ei subiiceretur, adhuc confessus vel coniuctus fieri posset, indeque hic cessare finem inquisitionis specialis simpliciter dici non posse. Redeunt itaque, quatenus & hic quaestio est de condemnatione, in decisione huius casus omnia ad vulgarem quaestionem: *An ex solis indiciis quis condemnari possit in poenam?* Quod, si etiam secundum veram juris criminalis theoriam fieri posset, talis condemnatio tamen non nisi tum locum habere potest, si certitudinem haberi non posse appetet (*a*). Si itaque cogitari posset casus, in quo iudex certo praeuidere posset, inculpatum per inquisitionem specialem confessum vel coniunctum fieri non posse, sicque eius finem non obtineri posse certum sit, distinguendum esset, an casus decidendus talis sit, vel non, tumque, si prius, reus iam nunc definitiue in poenam condemnandus, si vero posterius, inquisitio specialis decernenda esset. Enim vero cum, quantum ego perspicio, casus, in quo iudex certo praeuidere posset, per inquisitionem specialem inculpatum nec confessum nec coniunctum fieri posse, casus non dabilis sit (*b*), defendo: si inculpatus nec

nec confessus nec conuictus est finita inquisitione generali, & ad sunt requisita ad inquisitionem specialem necessaria, eam semper decernendam & nunquam inculpatum in poenam condemnandum esse; nisi praeuideri possit certissime, quae poena dictanda foret, si inculpatus fieret, vel confessus, vel conuictus, mediante inquisitione speciali. Sub hoc caussae criminalis statu enim, ast sub nullo alio, in poenam olim dictandam, iam nunc, absque praeuia inquisitione speciali, condemnari potest inculpatus. Neutquam vero per sententiam definitiuam puram hoc fieri potest, sed per definitiuam talem sententiam fieri debet, quae reo electionem permittit, an speciali inquisitioni se subiicere malit (c). Quod attinet thesin ipsam, veritas eius ex principio generali (§. praec.) per se fluit. Quoad adiectam limitationem vero notandum, si ea locum habet, adesse casum in quo finis inquisitionis specialis, modo magis commodo & breuiori, obtineri potest, quam per inquisitionem specialem. Ast, quoniam inculpatus per hypothesin nec confessus nec conuictus est, & fieri potest nec talem fieri, licet sustineret inquisitionem specialem, pura condernatio in poenam fieri nequit, sed tantum talis, qua facta penes eum est electio, an malit poenae dictatae, quam inquisitionis specialis incommodis, se subiicere, qualis est ea conditionata condernatio quam locum habere defendo. Caeterum adhuc notandum, quae hic dicta sunt de condemnatione in poenam, valere etiam, mutatis mutandis, de condemnatione ad iuramentum purgatorium (d).

(a) Cum huius loci non sit resolute motam quaestionem, mihi sufficit in eo conuenire inter se Criminalistas, vel saltem conuenire debere, secundum indicia non esse ferendam sententiam, quamdia certitudo haberi potest.

(b) Eum casum dabilem esse, in quo praeuideri potest reum nunquam fieri posse conuictum, non nego. Ast inde non sequitur cessare debere inquisitionem specialem, si non cessant requisita eius seu ca-

adsumt. Vnde sub hypothesi assumta, hoc tantum certum esse conuictionem inculpati obtineri non posse, condemnatio ad poenam, absque praevia inquisitione speciali, fieri non potest.

(c) Preter alios, huius decidendi modi F E Y E R V S in delineatione iuris criminalis ad Art. C. C. C. VI. & VII. Pos. VIII. & IX. ita mentionem facit. In casibus dubiis & delictis non atrocibus honestiores sub conditione certae mulctae sponte soluendae ab inquisitione liberantur. Quae mulcta olim praecise piis causis impendi debebat & pronuntiabatur: Er wolle denn lieber 100 Rtbl. zu milden Sachen erlegen, und die disfals seinetwegen aufgewandten Unkosten erstatten, auf welchen Fall er mit der erkanniten inquisition zu verschonen. At hodie ea etiam pro fructu iurisdictionis habetur atque hoc modo decernitur: würde N. N. 30 Rtbl. erlegen, so ist er zwar mit der zuerkannten inquisition zu verschonen, nichts desto weniger aber die seinetwegen aufgewandten Unkosten zu erstatten schuldig. Varia quidem sunt quae hic monenda habeo: ast, ob temporis breuitatem, praetermissis iis quae restrictionem ad causas dubias, ad delicta non atrociora, ad honoratores concernunt, tantum quoad poenam mulctae & formulam ipsum quae-dam annotanda sunt. Non video rationem, cur praecise poena eventualiter determinata mulcta esse debeat, dum & aliae poenae, praeter mulctam, hic locum habere possunt. Quoad formulam sententiae vero mihi ideo, quoniam exceptio est inquisitionem hic remitti, magis placet talis formula in qua praemittitur condemnatio ad inquisitionem specialem, & per modum conditionis resolutiuae adiicitur poena eventualiter ita determinata, vt, si inculpatus sponte ei se subiicere mallet, auertere possit incomoda & molestias inquisitionis specialis. Sit itaque formula generalis haec: Dass wieder — (nomen inculpati) — mit der Specialinquisition zu verfahren &c. nimirum consueta formula sententiae condemnatoriae

ad



ad inquisitionem specialem) cui nunc adiicienda poena eventualiter determinata per particulam relatiuam er vel sie wollte sich denn
--- (poenae determinatio) --- gutwillig unterwerfen, auf welchen Fall --- (particula relativa) --- mit der zuerkannten Inquisition zu verschonen.

- (d) Nimirum, nonnunquam, nondum cepta inquisitione speciali cuius requisita adsunt, quoad media eruendi veritatem olim adhibenda, si inculpatus in examine articulato in negatione persisteret, praevideri potest, grauius medium eruendi veritatem contra inculpatum, quam iuramentum purgatorium, statutum non iri. In hoc casu itaque valent etiam de iuramento purgatorio, quae de poena dicta sunt. Conf. i. h. BOEHMERYS de *vñ iuramenti purgatorii in criminalibus* §. XXVII. & XXVIII.

§. XIV.

Secundus casus cuius generis.

Sequitur casus secundus in quo habemus, finita inquisitione generali ita, ut adsint specialis inquisitionis requisita, reum consitentem quidem, ast non conuictum. Si nunc definiendum quid hic iustum sit quoad sententiam condemnatoriam, secundum ea quae §. X. dicta sunt, distinguendum est an delicti, quod confitetur inculpatus, poena sit poena mortis, an vero leuiori poena coercendum delictum sit. Si prius, sive delictum, cuius poena est mortis poena, in quaestione est, cum adsint requisita ad specialem inquisitionem necessaria, praetereaque nulla vñquam de morte hominis cunctatio longa est, videtur regulae (§. XII.) inhaerendum, sive inculpatum, licet confessum, ad inquisitioem specialem tamen trahendum esse. Ast datur tamen & hic inutilis & ipsi inculpato satis molesta cunctatio (a). Cogita inquisitum, qui sub carceris squalore & perpetuis morsibus conscientiae, anxie anhelat mortem tanquam promeritam poenam, ideoque in inquisi-



tione generali sponte confessus est omnia ob conscientiam mentem, non
 recti, sed grauis delicti, sicque tales inquisitum, qui non ut innocens,
 ob conscientiam mentem recti, ridere potest famae mendacia & inquisitionis
 specialis molestias constanti animo ferre, nunc, inquisitione spe-
 ciali decreta, post varios circuitus demum obtainere, per ultimum
 supplicium tandem finiri miseriam in qua viuit. Nonne tali misero
 homini inquisitio specialis, tanquam beneficium vel quasi ideo, ut
 vitae suae tanquam innocentis parcatur, obtruditur cum maximo
 suo incommodo? Parum itaque abest quin defendam: inculpa-
 tum, qui in inquisitione generali legitimo modo peracta omnia
 confessus est, sicque adeat circumstantialis, iudicialis & vltro facta
 confessio criminis, per quod mortis poena promerita, sine prae-
 via inquisitione speciali, licet hic adsit omnia eius requisita
 (§. IV. & X.), vi principii generalis (§. XII.) definitiue & pure
 condemnari posse ad mortem (b). Ast horret mens dum haec
 scribo, & parum abest quin haec omnia una litura iterum deleam.
 Praeuideo, imperitos & laboris impatientes iudices, facile abuti
 posse hac mea sententia, &, volentem quidem necare, ast tamen
 iniuste, cum nec volentem necare liceat. Interim tamen scriptum
 maneat, quod scriptum est, nec ideo ICtis haereticis adnumeran-
 dus ero. Non enim pertinaciter erro in fundamentali veritate
 iuris criminalis. Reuertor nunc in gremium Criminalistarum, qui
 ne quidem titubant in decernenda inquisitione speciali, toties, quo-
 ties delictum, per quod saltem in thesi poena mortis promerita, in
 quaestione est, licet inculpatus clare & distincte in inquisitione ge-
 nerali omnia confessus sit. Confiteor enim immotam veritatem
 iuris criminalis esse, sententiam condemnatoriam ad morrem lo-
 cum non habere, nisi inculpatus, licet in inquisitione generali con-
 fessus sit omnia, & nihil adsit quod confessionem falsitatis suspe-
 cit. Et facit, inquisitione speciali decreta, in articulato in ea obue-
 niente examine, ad singulos articulos inquisitionales, centenarium
 numerum plerumque excedentes, omnia quae confessus iam est
 clare & distincte, iterum iterumque sub hac figura confiteatur.

Porro



Porro non nego, ne nunc quidem inculpatum, nunc inquisitum, statim condemnari posse, sed eum antea audiendum esse cum defensione principali, in qua defenditur qui defendi nec vult, nec potest, & constitutus defensor, contra suam conscientiam & apertam veritatem deducere deberet, innocentiam hominis qui se nocentem profitetur, indeque non potest non confugere ad illum locum communem, vel inde, quod inquisitus omnia sponte confiteatur, apparere eum, vel non sanae mentis esse, vel melancholicum, quem virae taedium permouit ad talia confitendum, de quo ne cogitauit quidem. Tandem & firmiter credo, non nisi nunc demum, si, his omnibus sic absolutis, apparet, constantem & perpetuum voluntatem confitendi habere inquisitum, eum condemnandum esse. Licet enim, si quis non sic, sed ita prout antea dixi, confessus est delictum, finis inquisitionis specialis iam obtentus sit per generalem inquisitionem, & alias fine obtento cessent media, hic tamen, quoniā de sanguine hominis effundendo quaestio est, fine iam obtento adhuc media quae ad eum ducunt adhibenda sunt, cum etiam superflua non noceant &

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

Licet porro, qui sic tandem liberatur a carceris squalore, aliquisque malis quae eum premunt quamdui in inquisitione speciali haeret, ciuitus liberari potuisset per mortis poenam, quam effugere nec vult, nec potest, ad corroborandam certitudinem tamen haec mora, quae parua, sive nulla, necessaria est, praetereaque nunc demum secundum regulas venerandae artis nostrae moritur inquisitus. Sed maaum de tabula! & sufficient haec quoad prius. Conuento me potius ad *posteriorius*: an nimirum, si inculpatus inquisitione generali finita confessus tantum, non coniuctus est, in eo casu, in quo non poena mortis, sed alia leuior poena, in quaestione est, & inquisitionis specialis requisita adsunt, condemnari possit sine praevia inquisitione speciali. Quid hic iustum sit tum, si requisita inquisitionis specialis deficiunt, supra (§. X.) definiui. Ne itaque, quae ibi dicta sunt, hic repeatam, non nisi hoc hic indagandum, an quae

m, non
nocens,
inquisi-
one spe-
cificum
miserio
deo, ut
maximo
nculpation
omnia
facta
e pre-
quisita
x pure
haec
eleam.
e abuti
tamen
criptum
meran-
eritate
n, qui
, quo-
ita, in
ne ge-
itatem
em lo-
i con-
suspe-
obue-
arium
m est
eatur.
Porro

supra dicta sunt & hic locum habeant. Non nisi unica, si quid video, hic adest differentia quae influit in decisionem. In casu de quo supra, praeter impossibilitatem delictum ab eo commissum esse, qui illud confitetur, & probabilem errorem nihil adest, quod confessionis certitudini obstat, dum nec vitae taedium, nec metus inquisitionis specialis, eam suspectam facere possunt. (vid. not. b. ad §.X) Ast in hoc casu non quidem taedium vitae, ast tamen metus inquisitionis specialis & error eam suspectam facere possunt. Inde est, non simpliciter defendi posse, quae valent & dicta sunt supra de modo pronuntiandi in casu de quo ibi sermo est, hic etiam valere; sed dicta differentia hoc operatur, hic confessionem tum demum certitudinem delinquentis operari posse, si praeterea quod ei, prout in superiori casu, impossibilitas non obstat debeat, tale quid adest, per quod confessio probabilis fit, quorsum praesertim pertinet consensus eorum quae praesens delictum circumstant. Tum enim pro eliso haberi potest, quod obstat certitudini confessionis, nimurum possibile esse eam ob metum inquisitionis specialis, vel ex errore, factam esse. Quae cum ita sint, nunc facile patet, casum in quo sententia condemnatoria locum habet sine praevia inquisitione speciali, licet adhuc omnia eius requisita, & eum esse, in quo inculpatus confessus est in inquisitione generali delictum non capitale ita, ut confessionis veritati non obstat impossibilitas, praeteraque tale quid adest quod eam reddit probabilem, praesertim consensus eorum, quae praesens delictum circumstant, cum confessione.

(a) Non is ego sum qui fauet celeritati in administranda iustitia. Sed nec tolerare possum, si per tarditatem iustitiae administratio protrahitur. Datur circumspecta celeritas in administratione iustitiae, hanc amo. Sed hoc opus, hic labor est, ut medium hac in re teneant beati. Haec circumspecta celeritas, etiam in causis criminalibus, & praesertim in iis, adhibenda. En nunc fontem haereseos, si talis est, quod, ut vides, non ita faueam sententiis inter-

terlocutoriis ad inquisitionem specialem trahentibus inculpatos. Prout saepe in causis ciuilibus per interlocutorias sententias pro-trahitur iustitia, qua de re extat egregia & vere praetica Dissert. b. CARRACHIL de emendanda litium protractione circa senten-tias interlocutorias: ita & idem valet de causis criminalibus.

(b) Supra (not. b. ad §. XII.) monui LEYSERVUM, qui olim militauit in castris eorum qui solemni & sumptuosae inquisitioni speciali non fauent in delictis apertis, haec castra deseruisse. Ast tantum deseruit ea praeſertim in caſu quo inculpatus ad supplicium trahen-dus, & eius verba quae huic faciunt, me ſupra (not. b. ad §. III.) alia occaſione iam allegaſſe, recordor. Ex iis vero fatis patet LEYSERVUM gratis adsumere, quoties non praecedit condemna-tionem inquisitio specialis, grauiores poenas temere & tumultuoſe irrogari, & circumſtantias omnes, tam quae ad rei defenſionem per-tinent, quam quae reatum eius poenamque augere poſſunt, non fatis erui. Saepe hoc fieri concedo, inde vero non ſequitur ſemper specialem inquisitionem decernendam eſſe. Ita eſſe inde eſt, quod multi ſibi forment peruersum conceptum inquisitionis generalis & specialis ſupra §. I. emendatum. Vnde, ſi iudicēſ ſu-perficie traſtant cauſam criminalem in inquisitione generali, ſic que non eruunt quod eruere poſſent, hoc non oritur ex natura huius inquisitionis, ſed ex viſio eorum qui eam non rectius in-ſtruunt, indeque generatim pro vero adſumi nequit quod LEYSE-RVS defendit. Dein hae Leyſeriane rationes potiſſimum qua-drant, ſi, finita inquisitione generali, reus nec conuictus nec conui-etus eſt. Si vero conuictus, licet non conuictus, eſt, ſaepiſſime altera ex hiſ rationibus ceſſat, tum vero ipſe LEYSERVS iudi-cem peccare putat, qui per ſolennem inquisitionem & impensas, & rei aerumnas, multiplicat. Possem itaque, ſi auſtoritatibus pu-

fi quid
caſu de
im eſſe,
od con-
etus in-
ad §. X.)
etus in-
Inde
t ſupra
etiam
lionem
aeterea
re de-
orſum
m cir-
certi-
inquiſi-
ta ſint,
locum
us re-
iſiſtio-
ti non
n red-
ſ deli-

Sed
o pro-
iufi-
hac in
cauſis
ontem
iis in-
ter-





gnandum esset, gloriari, me habere LEYSERVUM consentientem
seu potius haereseos socium.

(c) Non desunt etiam nostris temporibus, quod mirandum, tales, qui non solum quoad delicta quorum poena est mors, sed etiam si de aliis leuioribus delictis sermo est, firmiter inhaerent regulae, reum, licet confessum, & licet nihil adsit quod vlo modo suspectam facere possit eius confessionem, dum potius factum cum omnibus suis circumstantiis, prout illud satetur inculpatus, sole meridiano clarius ex actis patescit, non nisi praevia inquisitione speciali condemnari posse. Habent enim pro ratione decidendi sufficiente, in delictis atrocibus inquisitionem generalem & specialem induulso nexu ita cohaerere, vt, si adsunt ad eam necessaria requisita, non nisi ea praevia condemnari possit reus.

(d) Miratus sum saepius, adhuc hodie, in tanto torturae odio, quae tamen vix per horae spatium corpori dolores, mox superatos, infert: tantum fauorem adhuc habere inquisitionem specialem, quae effectus odiosos perdurabiles habet. Licet vero haec, prout tortura, abrogari nequeat, temperandus tamen asset magis pruritus eam decernendi, praesertim cum saepe ratio decidendi secreta eam decernentis, sit id asylum commune sententiarum interlocutariorum, quod malo b. CARRACHII I. c. §. X., quam meis exprimere verbis. Ita autem, dum loquitur de iis qui sine ratione interloquuntur, definitiva sententia locum habente, ait: *Sane ad asylum illud & ignorantiae & pigritiae confugiunt non raro iudices, aut indocti, non veram sed simulatam affectantes iurisprudentiam; aut iudicio practico destituti; aut accurrioris curae impatientes, qui in causis difficilioribus, ut se mox expediant ex tricis remque a se amoliantur, statim interloquuntur, cum tamen reuera nihil dicant.*

¶. XV.



§. XV.

Casus tertius & quartus huius generis.

Ex supra dictis (§. XI.) constat, quid in casu tertio & quarto, dum nimurum inculpatus in inquisitione generali, vel conuictus tantum, vel confessus & conuictus simul est, tum pronuntiandum, si desunt requisita inquisitionis specialis. Nunc definiendum quae sententia ferenda sit in his casibus tum, si ad- sunt omnia inquisitionis specialis requisita, an eadem, an vero diuersa. Sine dubio vero dicendum eundem pronuntiandi modum & hic locum habere. Differentia enim, quae est inter casus de quibus supra, & eos de quibus hic loquor, nulla alia est, quam ibi deesse, hic vero aedesse, requisita inquisitionis specialis, quae vero non est tanti momenti, ut posset efficere hic aliter pronuntiandum esse. Condemnetur itaque & hic definitiue & pure, in casu vtroque, inculpatus, sive sine omnibus ambagibus finatur totus processus inquisitorius, cum fine inquisitionis generalis: prout ego hic, cum ex supra (§. XI.) dictis, etiam hic valentibus, rationibus, hi casus nullam vltiorem evolutionem requirant, finem impono huic opusculo.

ERRATA.

- Pag. 3. lin. 20. pro *specialem* lege: *generalem*
 - 6. not. e lin. 14 & 15 pro *proprii* sunt lege: *proprii* non sunt
 - 34. not. b. lin. 13. suppleatur §. XXX.

PRAE-

ntientem

qui non
de aliis
eum, li-
estam fa-
omnibus
eridiano
iali con-
ente, in
ndiuulso
ita, non, que
tos, in-
n, que
ut tor-
prurituseta eam
cutoria-
: expri-
ione in-
ad asy-
iudices,
ntiam;
tientes,
remque
ra nibil

XV.



PRAENOBILISSIMO PRAESTANTISSIMOQUE

D N. R E S P O N D E N T I

OTACIGM A. 8. P. D. IV. 21. V. 1.

P R A E S E S .

Relictis musis Francofurtensibus ad nos delatus, mihi statim innostisti SUAVISSIME GEIRE tanquam bonae indolis et spei iurium cultor. Impleuisti, quod laetor, abunde, spem de TE conceptam et nunc edis publicum eruditionis specimen, quod tertii generis specimen inter ea est, quae intra biennium, et quod excurrit, sub meo praesidio defensa sunt. Primum quod hue refero, erat *exegetica dissertatio de genuino sensu l. 3. f. 14. D. de acq. vel amitt. possessione.* Secundum est *dogmatica ast theoreтика dissertatio de expensarum et pretiis restituzione in retrouenditione.* Haec TUA dissertatio, itidem quidem dogmatica est, ast *practica*, dum continet particulam quandam theoriae artis decretoriae criminalis. Superest quarti generis specimen, nimurum *casuistica* dissertatio, casus singularis, qui valde notabilis, resolutionem ex iuris principiis sistens; quae occasione data sequetur. Quod nunc speciatim TE et me attinet, quoad TE gratior TIBI de sic feliciter, cum fructu et gloria, transacto curriculo academico: quoad me vero memoriam mei TIBI commendo, teque res TUAS felicissime agere iubeo. Vale. Ast nondum vale, sed permitte breuem apostillam. Dum haec scribo in manus meas incidit, ILL. TROSCHELI, meritissimi syndici ciuitatis Berolinensis, ad TE data epistola, ex qua perspicio in ea et mei honorificam fieri mentionem. HIC est quasi tertius interueniens, dum de TE et me loquor. Quid itaque nunc in hoc interuentiois casu decernendum. Breuibus me expediam. Dic communni nostro amico, in cuius amplexus mox rues, me tecum habitare et scire, eo tempore quo erat Fridericiana ornamentum, non nisi lineas quasdam duxisse, ad corpus iuris scientiae qua nunc superbit. Nunc iterum iterumque vale. Dabam in Regia Fridericiana d. XXVII. Apr. MDCCCLXXVII.

VIRO

HABENORIS QVI PRAESTAVITISSIMO
IVVENI PRAESTANTISSIMO, ORNATISSIMO
CHRISTOPHORO IOHANNI GEIER

IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATO

S. P. D.
CHRISTIANVS LUDOVICVS TROSCHEL
REGIS CONSILIARIVS AVLICVS ET CIVITATIS BEROL. SYNDICVS

im inno-
n cultor.
nunc edis
er ea est,
nsa sunt.
sensu l. 3.
natica ast
nditione.
ra, dum
Super-
ngularis,
occasione
re gratu-
culo aca-
que res
sitte bre-
L. TRO-
tola, ex
est quasi
in hoc
commu-
nitare et
si linea
Nunc
ii. Apr.

Publicum iam exhibes specimen diligentiae tuae, quae cum morum suavitate et cordis integritate feliciter iuncta, laudes omnium qui te inquerunt et existimationem optime iam pridem meriuit, quibus tibi acclamantibus lubenter, et ego accessi ex primo iam momento quo mihi a pie definito tuo patre eras commendatus. Vtus materiae de qua dissertationem elaborare proposuisti, nimurum de sententia condemnatoria sine praeterea inquisitione speciali, non est exiguis, sed practicus et maximi momenti. Non miror itaque electam esse, huiusque materiae disputationem ab Illustri et Confutissimo Tuorum Dno. Praefide, cuius indefatigabitatem semper est ac fuit studium, non scholae sed vita docendi, cuius cum et ego ante viginti quinque et quod excurrit annos auditor fuerim, praecoptorem hunc ad cines venerabo. Vnum istum practicum materiae tuae dissertationem, et ego in ipsa praxi inquisitoris publici aliquot ante tempus sum expertus. Speciali inquisitionem non utilem solum sed necessariam arbitror, vbi corporis delicti et delinquentis imputativitatis certitudinem ab omnibus dubiis remouere. Ait pedantismi iuridici incurrit omnino nota, vbi iam factis instructa generali inquisitione saepe in leuissimis delictis merae formalitatis gratia desideratur a iudice qui neque temporis pretium alii vitioribus laboribus impendendum aestimare valeret, neque inquisiti captivitatis saepe magis quam poenae infingendae infelicitoris protractionem attendit; expenarum augmenti, et sententionario sibi mediante Cathechismo vt ita dicam iuridico, commoditatem alii labore inutiliter reddere solam habet rationem.

Pium erit ita pii et sagacis inquisitoris semper votum speciali inquisitioni statuere limites quos ultra citraque nequit confilere rectum. Ait ipsum manebit votum! Avus et proavus statuerunt specialis inquisitionis formalitatem, nulla amplius habita ratione momentorum; Orthodoxia iuridica haereticos non admittet.

Manum itaque de Tabula!

Gratulor Tibi, amicissime Geier, de felici et cum optimâ laude peracto vitae academicæ curriculo. Redi in patriam (vbiunque est bene erit etiam patria). Fructe praemissi quae tua bene merita tibi promittunt. Nunquam erit aliquid magis in votis meis quam vir felicitatem ei iucunditatem vitae tuas sum promoturus. Si defunct vires laudanda ramen erit voluntas. Ita vale et me quod facis, amicitiae tuae commendatum ferua. Berolini calendis Aprilis. 1777.

DOCTIS.



DOCTISSIMO DOMINO RESPONDENTI

AMICO SVO VALDE DILECTO

ET VETERANO

JOHANNES THEOPHILVS WILLER

S. P. P.

Intras igitur, MI GRIERE DULCISSIMIS facio horrore perculsus, in templo Themos, seu portus — intima sui sacrarii penetralia Dea tibi pandit, TIBI cuius tempora Muliæ et Gratiae iam dudum myrto et lauro cinxerunt. O! me infelicius! quod tua consuetudine, qua in alma viadira sum frutus, non amplius viri possum! O! me infelicius, quod TIBI, (quem fatorum dira necessitas procul a me teneret,) hor festo et solemni die meum amorem, meam lacrimam meumque TIBI placendi studium, non ore sed in scriptis profiteri possum! Exhibuius hodie diligentias TUAE indefessae et tuorum in Iurisprudentia Criminale progressuum illustria specimenia — TUDORUM Commilitonum applaudis et vota aures tuas suaniter mulcent, atque dignus es, cuius laudes ab omnibus publice praedicentur, quos TUI ingenii dores, morum suauitas atque TUI pectoris candor non latent. Accipe igitur et mea vota, vota animi TIBI deuinctissimi, vias diu in matris benefissimae solatium, familie TUAE splendidissimæ emolumenatum, ac in meum praesidium atque dulce decus.

Fausto sidere in patriam solidâ ornatâ doctrina redreas ab omnibus amatiss & desideratus, argue me in posterum tuo amore, quo mihi nî prius, antiquus est et iucundius non dedigneris. Credas velim, in grato pectore memoriam amici quem TE cognoui nunquam fore interituram.

Tecum viuere amem. Tecum obeam libens. Vale. Dabam Nissae d. 5. April 1777.



Halle, Diss., 1777/78

VDI 8


f

sb

ULB Halle
002 187 604

3






Pra 36 num. 3

DISSE^TRATI^O IURIS CRIMINALIS 5

SENTENTIA CONDEMNATORIA 1997 32

PRAEVIA INQUISITIONE
SPECIALI



Q V A M

P R A E S I D E

DANIELE NETTELBLADT

POT. BOR. REGI A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE
ET FACULTATIS IURIDICAE ORDINARIO

D. XXVIII. APRIL. MDCCCLXXVII.

D E F E N D E T

CHRISTOPHORVS IOANNES GEIER

H I R S C H B E R G A S I L E S I U S

IUR. CAND. ET REGIAC SOC. SCIENTIARVM ET ARTIVM FRANGOF.

M E M B R O R A D.

HALAE
APVD I. C. HENDEL.

